DE

MANICHAEISMO APUD LATINOS

QUINTO SEXTOQUE SAECULO

ATQUE

DE LATINIS APOCRYPHIS LIBRIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

ALBERTUS DUFOURCQ

Scholae Normalis et Scholae Gallicae Romae habitae olim alumnus,
nunc Scholae « Thiers » dictae socius.

PARIS

ANCIENNE LIBRAIRIE THORIN ET FILS

ALBERT FONTEMOING, ÉDITEUR

Libraire des Écoles françaises d'Athènes et de Rome,
du Collège de France, de l'École Normale Supérieure et de la Société des Études Historiques

4, RUE LE GOFF, 4

1900

DE

MANICHAEISMO APUD LATINOS

QUINTO SEXTOQUE SAECULO

ATQUE

DE LATINIS APOCRYPHIS LIBRIS

DE
MANICHAEISMO APUD LATINOS
QUINTO SEXTOQUE SAECULO
ATQUE
DE LATINIS APOCRYPHIS LIBRIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Albertus DUFOURCQ

Scholae Normalis et Scholae Gallicae Romae habitae olim alumnus,
nunc Scholae « Thiers » dictae socius.

PARIS

ANCIENNE LIBRAIRIE THORIN ET FILS

ALBERT FONTEMOING, ÉDITEUR

Libraire des Écoles françaises d'Athènes et de Rome,
du Collège de France, de l'École Normale Supérieure et de la Société des Études Historiques

4, RUE LE GOFF, 4

1900

DOCTISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO VIRO

LVDOVICO DVCHESNE

APOCRYPHORVM GOTHICAE AETATIS LIBRORVM ARBITRO

GRATISSIMI ANIMI PIGNVS

D. D. D.

CONSPECTUS RERUM

Libri illi, plerique romani, in Gallia saepius retractati, testantur quanta auctoritate Romana sedes, saeculo sexto, apud Latinos polleret.

Libri illi Manichaeismo obstiterunt : propter quod anonymis auctoribus qui eos conscripserunt, laudes cunctis sunt habendae.

DE

MANICHAEISMO APUD LATINOS

QUINTO SEXTOQUE SAECULO

ATQUE

DE LATINIS APOCRYPHIS LIBRIS

PROŒMIUM

Sicut recentiores auctores qui referre studuerunt qualem exitum apud Latinos, post obitum beati Augustini, habuerit historia, scriptorum qualis Orosius exstitit et Senator atque illorum quales Prosper Tiro et Victor Tennonensis uidentur saepius tantum meminisse — *apocrypharum historiarum* obliti [1], — ita hos alteros qui, quomodo adoleuerit et quae euaserit, eadem aetate et apud eosdem, Christianorum ecclesia exponere sunt conati, nihil aliud spectasse credas quam tempestatem illam a Pelagio monacho excitatam — et *Manichaeismum postaugustinianum* non esse recordatos [2]. — Vt opinor uero, in utrorumque scriptis illis quae notantur rimae, eae *semel* expleri possunt : rem autem tantam totam explicare non ausus, opus tamen ita aggressus sum ut summa rerum cacumina inspicere et quam maxime breuiter ac dilucide, his in intricatissimis rebus, dicere studerem.

1. *Patrologie* von Otto Bardenhewer (Freiburg im Brisgau, Herder, 1894, in-8°), 492 et sq., 553 et sq.

2. *Lehrbuch der Dogmengeschichte* von Dr Adolf Harnack (dritte... Auflage) (Freiburg im Brisgau und Leipzig, 1894, in-8°), I, 797-798, et III, 225-240.

PARS PRIOR

CAPUT PRIUS

QUAE HISTORIAE APOCRYPHAE LATINAE A LEONIS MAGNI TEMPORE COMPOSITAE SINT?

Multa iam sunt saecula, ex quo Dionysiana collectio eiusque aetas est nota. Stephano Salonitano episcopo rogante, amicus Senatoris[1] in corpus quod inscribitur « Codex Canonum Ecclesiasticorum » canonica scripta collegit quae, exeunte saeculo quinto, inter Latinos circumferebantur; codex autem e tribus partibus constare dici potest, quarum in prima « graeca » seruabantur canones conciliorum Nicaeni, Ancyrani, Neocaesarensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodicensis, Constantinopolitani, canones concilii Chalcedonii separatim notati atque unus et uiginti Sardicenses; in secunda « africana » hos ponemus Carthagine VIIII. Kal. Ian. anno D. 419 promulgatos; in tertia denique « apostolica » quinquaginta ex Apostolicis Constitutionibus excerptos. Cuius codicis prima et secunda recensio Symmachi temporibus (498-514), tertia Hormisdae (514-523) plerumque tribuitur.

Symmacho papa, Dionysius idem Exiguus opus alterum necnon simile aggressus, suadente Iuliano presbytero tituli Anastasiae, in unam « Collectionem Decretorum Pontificum Romanorum » redegit octo et triginta « decretales » a septem romanis episcopis editas, Siritio, Innocentio, Zosimo,

1. Cassiodorus, *Inst. diuin. lit.*, 23 : « Fuit enim nostris temporibus et Dionysius monachus, Scytha natione, sed moribus omnino Romanus... » (P. L. 70, 1137.)

Bonifatio, Caelestino, Leone et Anastasio (384-498). Ex eo libro cum prioris illius recensione secunda iuncto constat quae dicitur « Dionysiana Collectio ».

Haec referre placuit paucis uerbis, ut a termino iam certo ad opera incertae aetatis gradus paulatim tuto fieri posset.

I

Quo tempore romani pontifices tantum ualebant ut eorum decretales cum conciliorum canonibus aequarentur, minime mirandum est eorum gesta accurate narrata esse. Quod quidem hos uiginti annos certius iam nouimus : nam anno D. 1877 Ludouicus Duchesne *Pontificalem librum,* Anastasio bibliothecario olim adscriptum, ante aetatem Felicis quarti (530) esse conscriptum asseruit et comprobauit[1]. Nuperrime tamen Theodorus Mommsen librum illum multo serius, post Gregorium magnum († 604), compositum esse confirmauit, istis praesertim notitiis haud magni sane pretii fretus quae ad episcopos inter Agapetum et Gregorium (536-590) ordinatos spectant[2]. Ludouicus Duchesne autem, plurimas ob causas librum iam dictum Theodorici Gothorum regis temporibus esse scriptum haud immerito ratus, cum rei sibi obiectae rationem reddere studeret, suspicatus est pontificum gesta, Agapeto mortuo (536), interrupta pependisse, deinde, Pelagii et Gregorii fortasse temporibus, iterum esse scripta episcoporumque historiam huius aetatis e pessimis fontibus haustam tum demum esse narratam[3]. Equidem fateor, cum Theodoricus, bis in Symmachi notitia, in Ioannis I quater, Athalaricusque semel in Bonifatii notitia

1. L. Duchesne, *Étude sur le « Liber Pontificalis »* (Paris, 1877). *Le « Liber Pontificalis »;* texte, introduction et commentaire (Paris, 1886-1892, 2 vol. in-4°).
2. Th. Mommsen, *Gesta Pontificum Romanorum,* I (Berlin, 1898).
3. *La nouvelle édition du Liber Pontificalis,* a L. Duchesne (*Mélanges d'archéologie et d'histoire...*, École de Rome, XVIII (1898), 381, 400 sq.).

haereticus appelletur, iure Theodorum Mommsen mirari quod Gothorum regem minime ueritus e Romanis quidam maledictis istiusmodi uexare ausus sit. Attamen gesta nostra, ad romanam plebem destinata, Gothos offendere non poterant, quippe quae ab iis, ut uidetur, minime legerentur; tum uerisimile est recensionem primigeniam textum nostrum non praebere eoque tantum tempore, quo, Graecis uictoribus, res Gothorum minus florerent, extitisse amanuenses qui suo in eos odio indulgere aliquando sint ausi. Nonnumquam enim textus primigenius in codicibus apparet, cum in notitiis Felicis tertii, Gelasii, Anastasii secundi, Hormisdae quartique Felicis Theodoricus, in Ioannis secundi et Felicis quarti Athalaricus haeretici nomine non afficiantur.

Ceterum, praeter ea quae Theodoro Mommsen Ludonicus Duchesne obiecit, textus quidam, huc usque ut uidetur neglectus, ad duchesnianam rationem confirmandam adduci potest. Epistula enim haec *Libro Pontificali* praefigitur :

Beatissimo papae Damaso Hieronimus. Gloriam sanctitatis tuae nostra humilitas deprecatur ut secundum apostolicae sedis quam cognouimus gubernari per tuam sanctitatem, hoc curui precamur ut actus gestorum a beati Petri Apostoli principatum usque ad uestra tempora quae gesta sunt in sedem tuam nobis per ordinem enarrare digneris : quatenus nostra humilitas sentire cognoscat *qui meruit de episcoporum supradictae sedis martyrio coronari uel qui contra canones apostolorum excessisse cognoscatur.* Ora pro nobis, beatissime papa[1].

Paenultimam phrasim qui legerit facile perspiciet quantum anonymus auctor qui Hieronymi nomine utitur, de apostolorum canonibus et de martyrum coronis curauerit. Apostolorum uero canones et Martyrum gloria quantum Romanorum mentes ad se conuerterint Symmachi temporibus, nobis testimonio sunt et Dionysiana collectio illa de

1. Duchesne, *Liber Pontificalis*, I, 117.

qua iam actum est et haec Martyrum gesta de quibus mox sumus dicturi, — quae scripta ambo Gothorum aetate sunt composita. Nonne igitur isto fere tempore gesta pontificum composita sunt, quo Dionysiana Collectio et Martyrum gesta? Quis uero libros illos post Gregorium Magnum esse confectos contendere audebit?

II

Antequam autem ad Martyrum gesta uenimus, ad uetustissimum Sacramentarium romanum prius accedamus, quod in codice Veronensi saeculo sexto septimoue exarato Iosephus Bianchini anno D. 1735 reperit, cum quarto uolumine Anastasii bibliothecarii ab auunculo Francisco editi composuit typisque mandauit, rursus Muratorius (1748) et Ballerini fratres ad lucem protulerunt, nuperrime autem Carolus Feltoe[1]. Codex autem initio mutilus — ianuarius enim, februarius, martius et aliquantum aprilis desiderantur — missarum preces amplectitur ita incipientes *Preces*, seu *Orationes*, seu *Orationes et Preces*, seu *In Natale Sancti*, seu *Super Defunctos* uel de *siccîtate temporis*, seu *in Ieiunio*, et plerasque Christianorum festivitates continet : infeliciter autem magnalia Paschae desunt.

Cuius codicis originem romanam aperte declarant Sancti romani coemeteriaque romana diligenter prolata :

VI id. iul. natale sanctorum Felicis, Philippi in cymiterio Priscillae, Vitalis et Martialis in cymiterio Iordanorum; et Silani in cymiterio Maximi uia Salaria; et Ianuarii in cymiterio Praetextati, uia Appia; — III non. aug., natale sancti Stephani in cymiterio Callisti, uia Appia; — VII id. aug. natale sancti Xysti in cymiterio Callisti; et Felicissimi et Agapiti in cymiterio Praetextati, uia Appia; — pridie Kal. oct. natale basilicae Angeli in Salaria.

1. Cambridge, University Press, 1896. *Sacramentarium Leonianum*. — Cf. Duchesne, *Origines du Culte chrétien* (2e édition, Paris, 1898), 129. — Probst, *Die ältesten römischen Sacramentarien und Ordines* (Münster i. W., 1892), 153.

Preces fere cunctae beatis Petro et Paulo adhibitae primariae sedis arrogantiam redolent. « Omp. semp. Deus qui ineffabili sacramento ius apostolici principatus nominis arce posuisti, unde se euangelica ueritas per tota mundi regna diffunderet[1]...; » — « quod sedes illa censuerit quam tenere uoluisti totius ecclesiae principatum[2]... ». Nonnumquam in precibus romanam superbiam deprehendes : « sic hostes romani nominis et inimicos catholicae professionis expugna per[3]...; » — « romani nominis securitas[4]; » — « statum romani nominis[5]. » Denique, in Petri festis, romanam originem suam codex expresse testatur : « qui hanc sedem regimen ecclesiae totius efficeres[6]... »

Pontificali Libro fere aequalis, Gothorum tempore codex noster compositus est, cum, in Simplicii papae (468-483) nomine, quod, mense octobri, sub fine missae quintae super defunctos, leges, errorem qui ad Gothorum tempus nos reuocat irrepsisse liceat suspicari, siquidem Siluestris episcopus semper hac in missa invocatur. — Satis autem aperte apparet beatae Caeciliae missam ex eius gestis pendere :

Quae dum humanis deuota nuptiis thalamos temporales contemneret, sponsum sibi qui perpetuus esset, praesumpto praemio castitatis, adhibuit et aeternitatem uitae maluit quam ut mundo procrearet originem; in cuius gloriam etiam illud accessit ut Valerianum, cui fuerat matrimonii iure copulanda, in perpetuum sibi socians martyr casta consortium secum duceret ad coronam per[7]... »

Caeciliae autem gesta ex *historia persecutionis Africanae prouinciae*... pendent, quae post annum 484 a Victore est

1. Feltoe, 38, cf., 40, 37.
2. Id., 45.
3. Id., 27.
4. Id., 63.
5. Id., 75.
6. Id., 46 (xx), cf., 47-40 (VIII) (x).
7. Id., 149.

scripta[1] : post annum igitur illum, sacramentarium nostrum compositum est.

Sacramentarii eiusdem aetas strictius definiri potest. Cum enim sanctos in eo memoratos recenses, inter non paucos martyres romanos, duos a Roma alienos deprehendis, discipulos Christi, beatum Andream et beatum Iohannem Euangelistam[2], quorum cultus, quo tempore et quo modo Romam sit inuectus ex scriptis infra allatis certo planeque[3] perspicies : hic igitur iam proposito sufficiat asserere, Hilario papa primo (461-468) Iohannis Euangelistae oratorium, Simplicio papa (468-483) Andreae basilicam, Gelasio papa (492-496) eiusdem Andreae oratorium (lauicanum in uilla Pertusa) Romae *tum primum* aedificata esse. Cum autem haud immerito suspiceris romanam apostolorum illorum missam primam non ante quam oratorio romano proprio usi sint esse conscriptam, ex eo, ut opinor, colliges Sacramentarium Romanum Veronae repertum ante Gelasii aut Symmachi tempora difficilius esse scriptum.

Cum uero in sacramentario nostro beatus Thomas apostolus desideretur, quamquam in kalendario diebus iulii et iunii 3 et decembris 21 et 28 occurrit, cum ex altera parte, Symmachi papae (498-514) temporibus primum a Romanis sollemni religione sit cultus, ex re ea utraque conficitur Sacramentarium Symmachi temporibus posterius non esse Gelasiique aut Symmachi aetati esse adscribendum.

Verum nihil est causae cur mireris quod damasiano concilio, in Petri Paulique mortis anno[4], contradicat cuius acta esse apocrypha infra apparebit[5]. Facile contra intelleges cur uocabula in *Apostolorum Breuiario* occurrentia, sicuti

1. Erbes, Die heilige Cäcilia im Zusammenhang mit der Papstcrypta (*Zeitschrift für Kirchengeschichte*, IX, 1888, 1-66).
2. Feltoe, 156, 164.
3. Part. II, cap. III.
4. « Sic dispensatione diuersa unam Christi familiam congregantes *tempore licet discreto*, recurrens una dies in aeternum et una corona.... » (Feltoe, 149.)
5. Part. II. cap. III. Damasianum scriptum sacramentario fortasse recentius est.

illud *quadriformis,* ibi quoque deprehenderis aut quare falsos confessores[1], falsos fratres «animales atque carnales quae sunt spiritus Dei, stulta mente non» capientes, «subdolos operarios»[2], Manichaeos scilicet, anonymus nonnumquam lacessat: temporibus illis, nonne Manichaei isti fidelibus curae maximae erant[3]?

III

Constat inter omnes, africanorum martyrum actis sepositis, fere cuncta martyrum gesta latina in codicibus seruata minus esse genuina, atque inter apocrypha recensenda: quae pleraque quinto sextoque saeculis esse composita facile suspiceris.

Quod ad romanos martyres pertinet, ad librum meum[4] liceat benignum delegare lectorem, ex quo gesta ea, pontificum gestis aequalia, Gothorum quoque temporibus Romae esse scripta nouerit.

Etsi de reliquis Italiae, de Galliarum et de Hispaniarum martyribus, nil certi afferri poterit, eorum tamen gesta pleraque saeculo sexto exeunte esse antiquiora, ex gallicana illa missa a Germano Parisiensi descripta uerisimiliter apparebit, qui a. D. 576 morte absumptus est:

Actus autem *Apostolorum* uel *Apocalypsis* Iohannis pro nouitate gaudii paschalis leguntur, seruantes ordinem temporum, sicut historia Testamenti Veteris in Quinquagesim, *uel gesta sanctorum confessorum ac martyrum in solemnitatibus eorum ut populus intelligat.....*[5].»

1. Feltoe, 9, 68.
2. Id., 68.
3. Cf. infra Part. II. Obsidiones quas Romani tolerauerunt, non, ut opinor, tam penitus nouimus ut locis a Ludouico Duchesne allatis (*Origines du culte,* 131) tuto uti liceat; deinde, preces istae in editione principe deerant fortasse.
4. *Etude sur les «Gesta Martyrum» romains,* Paris, Fontemoing, 1900.
5. Duchesne, *Origines du culte*, 185.

Quae uerba ut fortasse ad lugdunenses tantum prouincias spectant ita et in gallica cuncta gesta possunt cadere cum coniecturae nihil obstet, cuncta faueant. Nam inter eos qui Gregorii Turonensis libros euoluerunt, quis in dubium uocare sibi assumet, quin martyres ab omnibus, ea aetate, sollemni religione culti sint? An cum romanorum martyrum gesta et reliquias tam curiose requireret, proprios neglegebat? Passiones igitur martyrum si nondum erant scriptae, tum certo scriptae sunt. Hoc denique nouimus Ceraunium episcopum parisiensem saeculo VII ineunte cum Eusebio a Warnhario esse comparatum, quod « sanctorum martyrum gesta... congregare... intenderet[1] », unde, nisi fallor, aperte declaratur gestorum iam satis accreuisse numerum. Nonne igitur saeculum sextum occidens *terminus ad quem* duci potest?

Terminus a quo difficilius quidem statuetur. Si tamen qualem apud Romanos euentum martyrum traditiones habuerint attenderis, analogiae ratione fretus, facile credes « traditiones » eas, aetate constantiniana, quasi effloruisse, cum omnes undique ad martyrum Christi reliquias colendas conueniebant atque easdem, qualia Lazari et Mariae Magdalenae gesta[2], saeculis sequentibus quinto et sexto, codicibus manu scriptis esse mandatas[3]. Quae autem res ad gesta illa componenda fortasse dederint ansas, infra perspicies.

1. « Sancto et a me pontificali apice praeferendo Domino Ceraunio papae, Warnharius salutem... Nunc sanctorum martyrum gesta ad laudis tuae cumulum pro amore religionis congregare in urbe Parisiaca deuotus intendis. Unde s. Eusebio Caesariensi in aemulationis studio coaequandus es et pari gloriae dono perpetualiter memorandus... » *Acta Sanctorum*, 17 janvier 76.

2. Iam comprobatum est historiam Lazari et Mariae Magdalenae Lazaro episcopo recentiorem esse, cuius Lazari epitaphium Peiresc asseruauit et qui Zosimo romano papae aequalis erat. (G. Morin, *Saint Lazare et Saint Maximin*, Paris, 1897. Extrait des *Mémoires de la Société nationale des Antiquaires de France*, tome LVI). *Un martyrologe d'Arles antérieur à la « Tradition de Provence »*. *Revue d'histoire et de littérature religieuses*, III, 1898, 10. — Georges de Manteyer, *Les légendes saintes de Provence et le martyrologe d'Arles-Toulon* (vers 1120). *Mélanges*... École de Rome, XVIII, 1897, 467.

3. Eam aetatem plerisque gestis tribuunt quoque L. Duchesne (*Bulletin Critique*, 1897, 305, 383, 471, 473, 476.— *Fastes épiscopaux de l'ancienne Gaule*,

IV

Ceterum quaedam est causa adhuc ignota cur pleraque martyrum gesta quinto sextoue saeculo tribuas, cum librum repererim quo comprobatur ea aetate fideles, historiis ex ore traditis non iam contentos, eas codicibus mandatas uoluisse : martyrologium enim eusebianum quoddam loquor — non feriale dico, quale hieronymianum, sed martyrologium germanum quale adonianum, — quod in Italia, Gothorum tempore, compositum est.

In Cassiodori libro qui inscribitur « de institutione diuinarum litterarum », legimus :

> Nolite amare desidiam...; ideo futurae beatitudinis memores, uitas Patrum, confessiones fidelium, passiones martyrum legite constanter — quas inter alia in epistola sancti Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum destinata procul dubio reperitis, — qui per totum orbem terrarum floruere ut sancta imitatio uos prouocans ad caelestia regna perducat. Scientes quia non solum in agone sanguinis aut in uirginitate carnis positae sunt coronae[1]...»

Monachos Viuarienses sic Senator alloquitur iisque, ut desidiam peccatorum parentem fugiant, libros aliquot, *ad animum confirmandum aptos,* quales sunt rufinianae uitae Patrum, indicat. Ex quo adducimur ut *passiones* quas dicit

t. I, passim) et F. Savio (*Gli antichi uescovi d'Italia dalle origini al 1300 descritti per regioni. Il Piemonte*, 1899). — Bruno Krusch sane gesta plurima saeculis VIII et IX conficta esse comprobare conatus est (*Passiones uitaeque sanctorum aeui merouingici et antiquorum aliquot,* Hanovre, 1896) : quod ei, ut uidetur, saepissime non bene successit (Duchesne, *Bulletin Critique,* 1897, 301; 1899, 642, 681, 701 et 1900, 6. — Morin, *Revue Bénédictine,* mars 1899, 97. — Künstle, *Historisches Jahrbuch,* XX, 2 und 3 Heft. 426-441).

Hispanica martyrum gesta minime noscuntur. Florez, eamdem uiam quam Tillemontius ingressus erat, secutus, aetatem iis assignare non curauit. S. Augustinus gestis C. Vincentii utitur et difficile credes textum eum ab Africanis notum Hispanos fugisse. Braulio autem qui Caesaraugustanus episcopus fuit (c. 631-651), cum narret se Æmiliani passionem scripsisse « ut posset in missae eius celebratione quantocius legi » ueterem satis legendi morem ideoque textus non recentes uidetur testari.

1. *Inst. diuin. lit.,* 32 (P. L. 70, 1147).

martyrum narrationes quasdam esse putemus *productas satis* quae lectoris mentem mouere eumque sancta imitatione prouocatum ad caelestia regna perducere ualeant. Gesta martyrum autem, qualia romana legimus, eum minime intellegere apparet, quippe quae in ecclesia romana, — cuius mores Senator nouisset, — damasiano concilio teste, minus legerentur. — Id quoque certius ex eo conficitur quod Senator, postquam martyrum passiones nominauit, ita pergit : « Quas inter alia in epistola sancti Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum destinata procul dubio reperitis ». Scriptum, nisi fallor, unum in promptu habemus, ad quod locus ille pertinere possit, feriale hieronymianum dico, de quo mox agetur. In illo autem, nomen martyris, locus in quo colitur, anniuersaria dies tantum notantur : unde colligas necesse est, textum huius ferialis nostrum, ad animos dubios confirmandos minus aptum, eum non fuisse quem ut legerent Cassiodorus monachis suaderet suis. Quae cum ita sint, facile suspicer quemadmodum ex catalogo pontificali iusta incrementa capiente *Liber Pontificalis* paulatim ortus sit, ita ex feriali hieronymiano paulatim accrescente et *mox fusiore facto* ortum esse martyrologium uerum notitias breues de uita et morte martyrum componens.

Huius martyrologii in altero scripto descriptionem singula persequentem deprehendere mihi videor. In litteris enim feriali hieronymiano praemissis libri duo describuntur, quorum alter ipsum est feriale :

> Singulorum mensium singulorumque dierum festa conscripsimus ut iubere dignati estis...; et quoniam plus quam... octingentorum martyrum nomina sunt nominanda... considerans inter innumeras turbas lectorum animum intra unum mensem posse lassescere, ne id eveniat succincte et breviter eorum qui sunt in amplissima festiuitate in suis locis tantum pro omnibus memoratus sum[1].

1. *Martyrologium hieronymianum*, ad fidem codicum, adiectis prolegomenis ediderunt Joh. Bap. de Rossi et Ludov. Duchesne (Bruxellis, 1894, in-f°), LXXXII.

Ante illa uero, anonymus auctor priorem librum diligentissime describit; nam, cum Chromatius et Heliodorus « famosissimum feriale de arciuis sancti Eusebii Caesariae Palestinae » Hieronymo indicarent, ex quo « martyrum festa » exciperet, respondit eis :

Constat Dominum nostrum omni die martyrum suorum triumphos excipere, *quorum passiones a sancto Eusebio Caesariensi episcopo scribtas repperimus.* Nam Constantius Augustus cum Caesaream fuisset ingressus et diceret memorato antestiti ut peteret aliqua beneficia Caesariensi aecclesiae profutura, legitur respondisse Eusebium opibus suis ditatam aecclesiam nulla petendi beneficii necessitate conpelli, *sibi tamen desiderium immobile exstitisse ut quicquid ubique in republica Romana gestum sit erga sanctos dei* iudices iudicibus succedentes in uniuerso orbe romano, sollicita perscrutatione monumenta publica discutiendo perquirerent et *quis martyrum, a quo iudice, in qua prouincia uel ciuitate, quo die quaue passione perseuerantiae suae obtinuerit palmam* de ipsis arciuis sublata ipsi Eusebio regio iussu diregerent. Unde factum est ut idoneus relator exsistens aecclesiasticam historiam retexere, omnium pene martyrum prouinciarum omnium Romanorum diligens historiografus declararet.

Anonymus ergo « passiones martyrum » nouit quae ab Eusebio scriptae dicebantur nomenque martyris, *nomen iudicis,* nomen prouinciae uel ciuitatis, diem mortis, *tormentorum genus* (quaue passione) referebant. Qua tam certa descriptione excluduntur simul et martyrum gesta et hieronymianum feriale : in hoc enim nomina iudicum et passionum genus frustra quaeres, in illis autem permulta reperies, in primis quaestiones et miracula de quibus anonymus ne uerbum quidem facit. Tertium igitur opus, generis cuiusdam permixti, inter utrumque praedictum quasi interiectum anonymus recordatur — quale scilicet Senator commemorat[1].

Immo martyrologii illius reliquiae ad nos usque peruene-

1. Huius martyrologii eusebiani mentionem reperi in prologo gestorum beati Vincentii lugdunensis (ex *Cod. Palat. Vindob. lat.*, 484, XI, f° I^{v}). Cf. *Martyr. Hieron.* (Rossi-Duchesne), IIII *Non. Jun.* 72-73. et *Acta Sanctorum*, 2 juin 168.

runt. In codicibus enim quos Iohannes Baptista de Rossi et Ludouicus Duchesne in editione sua adhibuerunt, quaedam, perpauca sane, fusiora notantur. Ut exemplum ponam, hunc locum referamus :

IIII. non. mai. In Nicomed. Antoninę Nimiū torte. et ūariis tormentis afflicte. ab uno brachio trib; dieb; suspensę et in carcere biennio reclusę Apriscilliano preside. flammis exusta obiit..... ET IN NURICO RIPENSE LOCO. Lauriaco. natale. Floriani. et principi officii. presidis. ex cuius iussu. ligato saxo. collo eius deponente in fluuio anisomis susê oculis. crepantib; precipitatū uidentib; omnib.; circumstantibus [1]...

Quid, quod a. D. 1882 E. Steuenson in bibliothecae Vaticanae latebris codicis cuiusdam octauo nonoue saeculo scripti fragmentum reperit [2], quem olim Emm. Schelstrate doctis expendendum designauerat [3], cuius errore in annotatione codicis palatini (283 pro 238 scribebatur) Rossii inuestigationes in irritum ceciderant. Fragmentum illud Laureshamense dictum ex quinque paginis constat atque martyrum historias breuissime narratas exhibet qui ab VIII Kalendas ianuarias ad III nonas eiusdem mensis coluntur. Omnes autem unius cuiusque diei martyres non eodem modo celebrantur, nec miror. Compilator enim anonymus, prout testimonia in promptu habebat, iis usus sanctorum breuiter referebat gesta : testimoniis nullis, ferialis uerba nuda rursus scribebat :

IIII. Kl. ianuar in Africa Domici Victurini Crescenti... [4].

testimonia uero cum adessent, adnotationes historicas feriali adiciebat :

II. Nona Ianuar... [5]. In ciū Tomis Claudionis Eugeni Rodi et trium fratrum Argei Narcissi et Marcellini pueri Xpiani Fili epi qui

1. Rossi-Duchesne, 54.
2. *Bull. Archeol. Crist.*, 1882, 109.
3. Ms. Saint-Marc, XIV, 78. — 37-41, apud Rossi-Duchesne, p. x.
4. Rossi-Duchesne, 2.
5. Id., 5.

sub licinio inter tyrones conp̄hensus cum nollet militare cesus ad mortem carcere mancipatus missus in ceppo est donec relatione esset responsū dimersoq. in mare delato corpore eius in litore a religiosissimis uiris depositū ē in uilla Amanti religiosi uiri ubi fiunt orationes magnę.

Adnotationes autem illae non sunt «addititiae, id est secunda manu in eum codicem uel in aliquem alium, unde directe pendeat, insertae et alienae a textu archetypo... sed huius ab origine propriae et genuinae. Nam praeter harum adnotationum stilum, de earum antiquitate satis testantem, ad diem pridie non. ian. manifestum est compendium actorum martyris Cyziceni eo loco prius exstitisse, deinde esse resectum. Nempe unus codex Wissenburgensis eo loco seruauit uerba *qui sub Licinio*, unde incipit adnotatio historica : quae in reliquis exemplaribus omnibus sunt omissa[1].»

Quae adnotationes ex romanis et pannonicis traditionibus pendebant atque fortasse, aliquando, ex eusebiana Συναγωγῇ τῶν ἀρχαίων μαρτύρων[2]; cum autem de cœmeteriis romanis ibi plenius uideantur seruatae adnotationes topographicae quam in ceteris familiae Autissiodorensis, originem romanam martyrologio nostro tribuere licet. — Si quis nunc de aetate inquiret, feriali hieronymiano recentius apparebit cum litteras feriali praefixas a martyrologii eusebiani compilatore compositas et dispositas esse[3] arbitretur atque easdem nonnumquam martyrologio ipsi esse praemissas : ex quo facile intelleget cur Senator idem «epistolam Hieronymi ad Chromatium et Heliodorum destinatam» appellauerit et cur praefator anonymus non solum de feriali egerit suo, sed etiam de martyrologio nostro, neque pontificalis

1. Rossi-Duchesne, Proleg. XI.
2. Unde fit fortasse ut «nomina judicum» aliquando recte memorentur. Cf. Valentini gesta, in quibus Furiosus Placidus, consul a. D. 273, citatur.
3. Ferialis hieronymiani exstitisse recensiones quae litteras confictas non praeberent, ex eo suspicari licet quod Gregorius, cum Eulogio scribit, eusebianam collectionem se ignorare ostendit : feriale autem nouit et eusebianae collectionis in hieronymianis epistolis mentio fit.

praefatoris uiam secutus, propria tantummodo curauerit : anonymus enim opus suum commendatum uoluit dum idem tamquam beatae memoriae Hieronymo notum ostendit et in huius ueneranda origine Constantino principi et Eusebio episcopo adscripta, libentissime est immoratus. Antiquius igitur Cassiodoro, martyrologium italicum Romae compositum est post Leonem papam, ineunte fortasse saeculo sexto et Eusebio assignatum.

V

Restat ut de feriali hieronymiano illo, ingenti labore a Iohanne Baptista de Rossi et Ludouico Duchesne nuper edito, quae in prolegomenis suis, rem totam dilucide explicantes, iam dixerunt, ea paucissimis uerbis repetam, ut cursum propositum absoluam. Codicum omnium omnigena uarietate sublata, communis apparet textus in quo uetustissimum Ecclesiae Kalendarium reperis.

Maioris momenti est quod gallicanorum sanctorum festiuitates quottidie fere annuntiantur, neque eorum tantum qui sub imperatoribus martyrio claruerunt, aut mox post redditam Ecclesiae pacem floruerunt quales Hilarius et Martinus, sed eorum qui usque ad saeculum VI adultum uel senescens honore aliquo apud suos fruebantur.... Quo Galliae loco recensio ea facta sit, non obscure indicant ipsi sancti, pro ciuitatibus pauciores uel numerosiores. Multae sunt ecclesiae quae nullum ibi sanctum contulerunt, paucae uero quae multos...; Autissiodorum, Augustodunum, Lugdunum longe praestant, Autissiodorum maxime. Id eo magis mirum est quod ea ciuitas prae duobus aliis ignobilis certe fuit. De ea rara mentio fit apud Gregorium Turonensem.... Lugdunenses (autem) episcopi 14 uel 15 recensentur, Augustodunenses 15, Autissiodorenses 17...: Autissiodori recensitum est (feriale) sub episcopatu Aunacharii, uiuente etiam tum Syagrio Augustodunensi, id est circa finem saeculi VI, atque ex ea recensione pendent omnes, quotquot habemus, codices.

Autissiodorensis autem illa recensio non est recensio primigenia, nam aeque ac martyrologium eusebianum, feriale hieronymianum Romae compositum est. Saepissime enim in eo recurrit mentio *Roma*, sub qua ordinantur festa tam urbana quam suburbana; « urbanae basilicae saepe annotantur, eae scilicet in quibus sacrae stationes celebrari consueuerant; extra urbem, cœmeterium indicatur adiecto uiae nomine; si quando agitur de basilicis longe positis, etiam quot milliariis ab Vrbe distent admonemur. » Tanta autem ubertas documentorum romanorum nisi a romano fonte fluere non potest, quo Romanus facilius aptiusque quam quilibet usus est: Romae enim, in sede apostolica, ecclesiarum omnium principe et capite, et syriacum Kalendarium et notitias de italicis et africanis et aliis festiuitatibus anonymus nullo negotio colligere poterat, Leonis magni ut suspicor aetate.

Romanum enim Kalendarium quod in feriale insertum est, « uno omisso Zosimo » († 418) ad Bonifatium usque producitur, cuius depositio prid. non. sept. sollemniter annuntiatur :

Romae in cymiterio Maximi ad s. Felicitatem, uia Salaria, depositio Bonifatii episcopi.

De sequentibus pontificibus nulla amplius mentio fit, nisi Leonis Magni, qui pro singulari fama facile adici potuit et adiectus est sine ulla loci commemoratione. Sistendum igitur in Bonifatio : ibi ponendus terminus romani Kalendarii quo ferialis catholici hieronymiani auctor anonymus usus est. — Cuius ad opus si redimus, nonnullas ecclesiarum dedicationes mire legimus, quae Sixti papae tertii (432-440) aetate sunt consecratae :

III Kl. iul... dedicatio baptisterii antiqui Romę[1].

Kl. aug... Romae dedicatio ecclesię a beato Petro constructę et consecratę[2].

1. Rossi-Duchesne, 84.
2. Id., 99.

Non. aug... Romae dedicatio basilicę scę Marię[1].
IIII Non. nou... Dedicatio basilicę scorū Syxti, Yppoliti et Laurentii[2].

Nonne credendum est has notitias a ferialis auctore in farraginem suam esse insertas? Post Sixtum papam (432-440) igitur, Leonis scilicet aetate, librum suum componebat.

Quod eo propius ad fidem accedere uidetur quod, in feriali, Africa in duas regiones quasi diuisa esse apparet, quarum prior Proconsularem et Africam et Byzacenam et Numidiam, altera Mauritaniam ceterasque occidentales prouincias amplectitur; africanae autem regiones in septentrionem uergentes ita numquam partitae sunt, nisi cum inter Gensericum et Imperatorem, hunc Mauritaniam regentem, illum Numidiam et Carthaginienses terras tenentem, ab anno 435 usque ad annum 455 fuerunt diuisae[3]. Ecclesiae igitur catholicae Feriale sub episcopatu Leonis Magni est compositum.

Libri autem illi cuncti, quos ab Hormisdae temporibus usque ad Leonis Magni aetatem carptim deprehendimus ac recensuimus, quamquam diuersi, quadam cognatione inter se coniuncti uidentur esse. Nam et omnes praeteriti temporis quasi imaginem relatam uolunt, et eorum qui eos conscripserunt, nomina penitus ignorantur, et auctores anonymi doctoris aut episcopi alicuius clarissimi nomen usurpant, ut *Liber Pontificalis* Damaso, Feriale Hieronymo, Sacramentarium fortasse Leoni, Martyrologium et nonnulla gesta Eusebio ascribantur, Dionysianaque collectio ipsa Apostolorum patrocinio, ut ita dicam, utatur. « *Historica,* » igitur « *anonyma,* » « *pseudepigraphica* » apocrypha

1. Rossi-Duchesne, 101.
2. Id., 138.
3. Duchesne, *Les sources du martyrologe hiéronymien* (*Mélanges*, V, 1885, 153). — B. Krusch, *Neues Archiv*, XXIV, 289, 337. — Duchesne, *Analecta Bollandiana,* 1898, 421.

illa « *popularia* » quoque et « *catholica* » dici possunt, utpote quae ad uulgi sensum pleraque sint accommodata atque cum Catholicorum nomina illustria prae se ferant, tum saepius aperte testentur quanta fuerit apud lectores et scriptores apostolicae sedis auctoritas.

Quae res nos adducunt ut apocryphorum istorum communem causam inquiramus et cur cuncta Gothorum fere temporibus simul sint composita, rationem reddere studeamus[1].

Romanae ecclesiae auctoritas tum maxime adolescebat quia, Barbaris imminentibus Italiae, romanum prolabebatur imperium demumque ruebat, dum episcopus romanus ecclesiarum fidem integram incolumemque seruabat. Postquam enim Barbari fines imperii ingressi sunt, respublica ubique minus confusa fortasse et perturbata stabat quam saepius creditur, cum depopulatio et uastitas in nonnullos quidem, certos autem pagos, illatae essent neque prouinciae omnes totae longe lateque afflictae essent atque incensae; ex altera parte, post eorum incursiones sicuti ante easdem, siue una ditione Romanus princeps prouincias regebat, siue iam aliquot regna imperii in locum successerant, ciuitates aut pagi utique uigebant et in ciuitatibus eis cuncta semper agebantur et versabantur ita ut regiones circa Mare Internum ad occidentem sitae speciem antiquam suam « municipalem », iis quoque temporibus, retinuisse uiderentur. « Pax romana » contra euanuerat, beneficiumque illud ingens quod Romanorum pensauerat iniurias eorumque imperium quasi sacrum reddiderat, erat abolitum, cum Vrbs cuius potestati dii ipsi terras subiecisse uisi erant, eorum numine destituta iaceret, et cultus ille laberetur quem prouinciarum incolae, beneficio quasi religiose uincti, Romae et Augusto adhibuerant : nunc contra eos quasi facinore ingenti perturbatos defigebat stupor. Si enim

1. De rebus illis ne uerbum quidem facit Georgius Pfeilschifter : *Der Ostgothen-König Theoderich der Grosse und die Katholische Kirche* (Münster i. W., Schöningh, 1896, in-8°).

Radegasius Faesulis a Stilicone profligabatur, Alaricus Vrbem ingrediebatur et Gensericus iterum hoc infandum scelus patrabat, dedecus utrumque ferente imperatore ignauo inter rauennates paludes profugo; quod denique Vrbem Attila non uiolabat, Romani episcopo suo, non principi acceptum referebant. Quid, quod imperii gloriam principum in libidines effusorum ac potentiae auidorum flagitia quoque imminuebant? Maximus Valentinianum III occidit qui eius uitiauerat uxorem (455); imperator autem factus, a Genserico quem appellauerat Eudoxia Valentiniani uxor, quam inuitam in matrimonium duxerat, regno pellitur; Auitus qui in eius locum cedit (456), procul a Gothis qui eum crearunt aliquamdiu stare nequit, utpote qui Romae ualeant nihil. Nam Ricimer, potentiam ibi consecutus, Maiorianum imperio ornat (457) eumque morte afficit, Libium Seuerum principem constituit (461) eiusque successorem Anthemium regno pellit (472). Quem sane Orientis imperator Leo Thrax creauit, qui secundum Iulio Nepoti Occidentis assignauit imperium (474) : penes Barbarorum uero duces, primum Orestem dein Odoacrum, summa erat potentia, ut, cum hic Romulum Augustulum illius filium imperium deponere coegit, quae iam dudum fieri cœperant et in aeternum erant mansura, tantummodo comprobaret et, ut ita dicam, sanciret : quasi dii tantam rerum commutationem demum ratam habuissent. Cum Romulus in Palatino Romam quadratam condiderat, uultures duodecim supra geminum montem apparuerant quorum numerus, si quid Vettio creditur, saeculorum numerum per quos Vrbs imperii sceptrum teneret, testantibus auguribus, aperte significabat; minime igitur errauerant augures, siquidem octo et uiginti annis ex quo duodecimum ab Vrbe condita saeculum elapsum erat nondum peractis, ceciderat Occidentis imperium (474).

Dum autem illa fiunt, romani pontificis auctoritas et potentia crescit. Quae enim a beato Petro condita est

ecclesia, principatus, quem inter apostolos Petrus tenebat, ea haeres fuit : qui principatus eo confirmatus et quasi munitus est quod Roma sedes principis orbisque caput exstabat. Ex utraque autem parte sic constituta romana potestas ita adoleuit prout tempora poscebant : quodcumque vero de Dionysio in primis et Iulio « papae » partes agentibus dici potest et quamquam apud Ennodium Ticinensem et apud Senatorem uocabulum « papa » ad unum romanum episcopum referri primum est cœptum, quo tempore occidentale imperium cadit, primus uere « Papa » Petri cathedram tenet cum Leo papa primus Magnus (440-461) Theodosii nepotes regno pulsos uidet.

Is enim Calidonii, Vesuntini episcopi, cognitionem excipit, quem arelatensis synodus cui Hilarius metropolita praeerat, a sede deposuit, synodalia decreta rescindit, Hilarium de honore metropolitarum deicit, Calidonium in sedem reuocat (445), dum Valentinianus III edictum thessalonicense (380) rursus edit :

Cunctos populos... in tali uolumus religione servari, quam diuinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat, quamque pontificem Damasum sequi claret...

(C. Th. XVI, I, 2. — Haenel, 1476.)

Similiter autem in dogmaticis et in ecclesiasticis rebus se gerit Leo : nam postquam Eutychiani in Ephesia synodo uicerunt (449), huius decreta damnat, synodumque alteram indicit, quae, probante Marciano, Chalcedone congregatur. Cum autem papa rogatur ut huc conueniat, postquam episcopos duos et presbyteros duos misit, ita respondet :

Nec necessitas temporis, nec ulla poterat consuetudo permittere. Tamen in his fratribus..., qui ab apostolica sede directi sunt, me synodo uestra fraternitas aestimet praesidere, non abiuncta a nobis praesentia mea qui nunc in uicariis meis adsum et iam dudum in

fidei catholicae praedicatione non desum : ut qui non potestis ignorare quid ex antiqua traditione credamus, non possitis dubitare quid cupiamus.

(Leonis Epistola 93, ad Synodum quae Nicaeam primum indicta, postea uero Chalcedone congregata est, I, P. L. 54,937.)

De qua epistula haud immerito, ut uidetur, dictum est :

Haec sunt uere ducis magistrique uerba...; gravissimam quaestionem post nicaenum symbolum receptum propositam Papa profligauit nec disputationem ingredi dignatus est : haud multum iam tunc distat quin magisterium romani pontificis in dogmaticis rebus infallibile doceatur et definiatur.

Natura ita comparatum est ut, qui qualia Leo Magnus loquuntur, ii apud homines plurimum auctoritatis habeant, et suos quamquam humillimos, suae altitudinis animi quasi participes efficiant et ad imaginem suam aliquid informent. Credendum est igitur ecclesiae romanae episcopos, beati Petri antecessoris potestatem « pascendi et confirmandi » ecclesias a Iesu Christo traditam semper esse recordatos munerique non defuisse suo prout rerum et temporum condicio poscebat : nihil est uero cur putemus eiusdem ecclesiae clericos et fideles, ante Leonis pontificatum, Romanorum episcoporum honoris conscios exstitisse et de illo esse gloriatos. Leone papa contra, in uulgus emanauit apostolicae sedis primariae superbia; nec miror : cum uictoria dux extollitur, haud raro fit ut milites idem atque ille loquantur et sentiant, praesertim cum, quod eorum animos inflat, ducis minus proprium sit et cunctis in commune quasi hereditas gloriae sanctissimae eueniat. Aut certe, si ita res se habet, facile intelleges humilis alicuius romanae ecclesiae clerici mentem subiisse studium Ecclesiae uniuersalis feriale et martyrologium componendi, neque solum apostolorum et pontificum et martyrum propriorum gesta, eumdemque aemulumue antiquas preces Romae recitatas collegisse quasi eas cunctis ecclesiis

exempla proponere cogitaret; Scytham denique monachum, ut iam dictum est, conciliorum canones et paparum decreta in unum eumdemque codicem redegisse et tenuissimum fortasse clericum in Petri Paulique gestis Petrum ita loqui retulisse :

Multi sunt anni per quos accepi litteras ab episcopis NOSTRIS qui sunt in orbe romano[1]...

Neque miraberis, ea fere aetate, anonymum quemdam beati Siluestris gesta[2] ad maiorem ecclesiae romanae gloriam duobus libris singillatim exsecutum esse; cum enim de gestis eius ex Leonis Magni historia existimet, siluestrianae aetatis historiam in Siluestre totam uersari fingit, ab eo Constantinum lepra sanatum refert et eumdem, per imperatorem ideo gratum, pace donauisse ecclesias; quamquam igitur martyrio non est coronatus, eius tamen historiam miris sane ex Oriente transvectis narratiunculis adornare studet : quis, nisi nequissimus diaboli filius, dubitare possit quin maximis miraculis romani episcopi pontificatus claruerit, qui, Deo concedente, persecutionibus uniuersis imposuit finem?

1. Lipsius, *Acta Petri*... (Lipsiae, 1891, in-8°), 153.

2. Ea gesta latina (apud Mombritium ea leges) post concilium Chalcedonium fuisse conscripta indicat locus in quo duae substantiae Christi cum lana tincta comparantur; ante damasianum autem concilium sunt scripta, quo notantur. Cognationem certam inter ea et Petri Paulique gesta intercedentem significant mentio magi Zambris in aurem tauri — ad instar Simonis — locuti, locus quo cum Adamo, e terra « uirgine » facto, comparatur Christus (Lipsius, *op. cit.*, 127), disputatio de nuptiis inter Siluestrem et Iubal. Cognationem alteram cum Matthaei Euangelio ostendunt nomina Abiathar et Isachar, cum gestis Orientalium Apostolorum (cf. infra) nomina Crato et Zambres, cum *Libro Pontificali* fortasse locus quo de colobio et dalmatica agitur.

ALTERUM CAPUT

QUAE HISTORIAE APOCRYPHAE LATINAE AB AUGUSTINI TEMPORE COMPOSITAE SINT?

Ab Hormisdae temporibus cum derexissem cursum, Leonis Magni repetii aetatem; scripta uero eiusdem generis atque iam recensita frustra quaeras, antequam Petri cathedram Leo tenuit, et chalcedoniam retulit uictoriam. Altera autem haud dissimilia reperiuntur quae mihi iam sunt recognoscenda: a beato Augustino usque ad Leonem Magnum cuncta quae de prisca Christianorum historia memoria prodita sunt, ecclesiae uero non receperunt[1], ea ex graecis prouinciis in quibus circumferuntur, in latinas traducuntur et quasi irruunt.

I

In libro qui, a. D. 400 conscriptus, « contra Faustum » inscribitur, haec legimus:

Legunt scripturas apocryphas Manichaei, a nescio quibus sutoribus fabularum sub apostolorum nomine scriptas, quae suorum

1. « Omittamus igitur earum scripturarum fabulas, quae apocryphae nuncupantur, eo quod earum occulta origo non claruit patribus, a quibus usque ad nos auctoritas ueracium Scripturarum certissima et notissima successione peruenit. In his autem apocryphis, etsi inuenitur aliqua ueritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla diuine illum Enoch... negare non possumus..., sed non frustra non sunt in eo canone scripturarum... Vnde illa, quae sub eius nomine proferuntur et continent istas de gigantibus fabulas, quod non habuerint homines patres, recte a prudentibus indicatur non ipsius esse credenda; sicut multa sub nominibus et aliorum prophetarum et recentiora sub nominibus apostolorum ab haereticis proferuntur, quae omnia nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt. » (*De Ciuitate Dei,* XV, 23, Dombart, II, 111-112.)

scriptorum temporibus in auctoritatem sanctae ecclesiae mererentur, si sancti et docti homines qui tunc in hac uita erant et examinare talia poterant, eos uera locutos esse cognoscerent...; a (Manichaeis) illae scripturae, quas canon ecclesiasticus respuit, tamquam uerae ac sincerae acceptantur[1].

Eadem fere aetate, Philastrius Brixiensis, qui inter annos 383 et 391, librum *de Haeresibus* scribebat, aliquot ex illis scripturas apocryphas carptim notabat :

Habent Manichaei et alii tales Andreae beati et Ioannis actus euangelistae, beati et Petri similiter apostoli[2].

Augustinus Thomae actuum mentionem facit :

Ipsi autem, inquit, legunt scripturas apocryphas quas etiam incorruptissimas esse dicunt ubi scriptum est apostolum Thomam[3]...

1. Augustin. *contra Faustum,* XXII, 79 (P. L. 42, 452).

2. « Haeresis est etiam quae Apocrypha, id est quae secreta dicitur, quae solum Prophetas et Apostolos accipit non scripturas canonicas id est Legem et Prophetas, Vetus scilicet et Novum Testamentum. Et cum uolunt solum illa apocrypha legere, studiose contraria Scripturis canonicis sentiunt...; e quibus sunt maxime Manichaei... et alii quam plurimi, qui apocrypha Prophetarum et Apostolorum id est actus separatos habentes, canonicas legere scripturas contemnunt. Propter quod statutum est ab Apostolis et eorum successoribus, non aliud legi in Ecclesia debere catholica, nisi Legem et Prophetas et Euangelia et Actus Apostolorum et Pauli tredecim Epistolas et septem alias, Petri duas, Ioannis tres, Iudae unam et unam Iacobi quae septem Actibus apostolorum coniunctae sunt. Scripturae autem absconditae, id est Apocrypha, etsi legi debent morum causa a perfectis, non ab omnibus legi debent, quia non intelligentes multa addiderunt et tulerunt quae uoluerunt haeretici. Nam Manichaei apocrypha beati Andreae apostoli, id est actus quos fecit ueniens de Ponto in Graeciam, quos circonscripserunt tunc discipuli sequentes Apostolum : unde et habent Manichaei et alii tales Andreae beati et Ioannis actus euangelistae, beati et Petri similiter apostoli, in quibus quia signa fecerunt magna et prodigia, ut pecudes et canes et bestiae loquerentur, etiam et animas hominum tales uelut canum et pecudum similes imputauerunt esse haeretici perditi. » (*Haeres.* 88. — P. L. 12, 1199-1200.)

3. « ... Ubi scriptum est apostolum Thomam maledixisse homini a quo per imprudentiam palma percussus est, ignorante quis esset, maledictumque illud continuo uenisse ad effectum. » (*Contra Adimantium*, XVII, 2. P. L. 42, 158.) — « Quod isti magna caecitate uituperant, cum in apocryphis pro magno legant et illud quod de apostolo Thoma commemoraui (*op. cit.*, XVII, 5, P. L. 42, 161). — « [In scripturis apocryphis] tamen legunt apostolum Thomam, cum esset in quodam convivio peregrinus et prorsus incognitus, a quodam ministro... (*Contra Faustum*, XXII, 79, P. L. 42, 452.) Cf. *De Sermone Domini in monte*, XX, 65 (P. L. 34-35, 1263).

Vetustissimae igitur gestorum Apostolorum uersiones latinae ante annos D. 383 et 400 editae esse uidentur : Andreae et Iohannis, Petri [Pauli] et Thomae historiam referebant et fortasse in collectione quadam erant compositae. Quae coniectura per se verisimilis hoc nititur quod graeca collectio exstitit qua eorumdem nempe actus continebantur : « ἀνεγνώσθη βιβλίον, ait Photius in Bibliotheca (cod. 114), αἱ λεγόμεναι τῶν ἀποστόλων περίοδοι, ἐν αἷς περιείχοντο πράξεις Πέτρου, Ἰωάννου, Ἀνδρέου, Θωμᾶ, Παύλου. »

Ea autem collectio modo anonyma dicebatur, modo Leucio cuidam assignabatur, teste Augustino. Quamquam Philastrium secutus, eam « nescio quibus fabularum sutoribus » tribuit, in actis cum Felice Manichaeo II, 6, dicit : « (acta scripta) a Leucio quae tamquam actus apostolorum scribit[1]..., » idemque in libro *de Fide*[2] contra Manichaeos legitur, — qui ab Euodio coaeuo fortasse scriptus est :

Attendite, ait, in actibus Leucii quos sub nomine apostolorum scribit...; ad audiendum apostolum Andream puerulus quidam speciosus, quem uult Leucius uel deum certe uel certe angelum intellegi...

Ex Philastrii igitur silentio Augustinique secum minus congruentibus dictis efficitur, ut quinque apostolorum actus latini Leucii nomini haud certo uel necessario sint addicti; eorum contra leucianam originem ab anonymo aliquo assertam esse facile credes, eique opinioni, prout ei res fauebant, Christianos fauisse.

Hoc quidem tuto dici potest, apostolicos libellos omnes ad Leucium numquam fuisse relatos :

Cetera autem quae uel sub nomine Matthaei, scribit Innocens papa primus, siue Iacobi minoris uel sub nomine Petri et Iohannis quae a quodam Leucio scripta sunt (uel sub nomine Andreae quae a Nexocharide et Leonida philosophis) uel sub nomine Thomae, et si

1. P. L. 42, 538-539.
2. *De Fide*, 38 (P. L. 42, 1150).

qua sunt alia, non solum repudianda, uerum etiam noueris esse damnanda[1].

Pari modo Idacio et Caponio Turibius episcopus scribit :

Actus illos qui uocantur S. Andreae, uel illos qui appellantur sancti Iohannis quos sacrilego Leucius ore conscripsit, uel illos qui dicuntur S. Thomae et his similia[2].

Aliquot denique actus a testibus qui rebus ipsis interfuissent se scriptos esse contendunt :

Passionem sancti Andreae quam uidimus omnes presbyteri et diacones ecclesiarum Achaiae[3]...

Qui Leucius non appellabatur Charinus, cum scriptum latinum nullum eum ita commemoret : cum enim damasiano concilio[4] libros « omnes quos fecit Leucius, discipulus diaboli », apocryphos damnante congruit Melito[5] et scriptores cuncti quos iam protulimus. Photii autem errorem qui dicit γράφει δὲ αὐτὰς (τὰς περιόδους), ὡς δηλοῖ τὸ αὐτὸ βιβλίον, Λεύκιος Χαρῖνος unde ortus sit intelleges si tantum aliquam confusionem finxeris a mentione Leucii *et* Charini in actibus Pilati[6] fortasse minus alienam.

Quae opinio certior fit si rationem reddere conaberis unde orta sit historia de Leucio apostolicorum actuum auctore. Patet enim Leucium uirum fuisse cuius auctoritas maxime apud Christianos ualeret, cuius ergo nomen praetendere anonymo haeretico prodesset multum. Immo Leucium aliquem exstitisse a Catholicis magni aestimatum, ex eo sciri potest quod catholicus barcinonensis episcopus Pacianus

1. Epistola VI ad Exuperium, 13 (P. L. 20, 502).
2. P. L. 54, 694.
3. Max Bonnet, *Passio Andreae*... (Lipsiae, 1898), p. 1.
4. P. L. 59, 175-176.
5. Cf. infra.
6. Tischendorf, p. 369.

Montanistas mendacii arguit, cum Leucii nomine et auctoritate utantur :

> Phryges nobiliores qui se animatos *mentiuntur* a Leucio, se institutos a Proculo gloriantur[1].

Epiphanius autem Leucium aliquem commemorat Iohannis euangelistae discipulum :

> ἀντιλέγοντες γὰρ τοῖς τοῦ Χριστοῦ μαθηταῖς... ἀντελέγοντο γὰρ πολλάκις ὑπὸ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου καὶ τῶν ἀμφ' αὐτὸν Λευκίου καὶ ἄλλων πολλῶν[2].

Haud igitur immerito credi potest actuum apostolicorum scriptores anonymos lectorem huc adductum uoluisse ut Leucium illum Iohannis euangelistae discipulum actuum horum auctorem esse crederet.

Horum actuum, inter quos Petri et Pauli, Ioannis et Andreae, et Thomae actus certe nouimus[3] quae propria dici possunt? Historiam sinceram relatam uolunt, quippe qui ab apostolorum discipulis ipsis aut ab aliis illis aequalibus conscriptos se fuisse declarent; *anonymi* et *pseudepigraphi* et *ad vulgus apti* esse satis apparent ut, quae cum alteris Leonis aetate scriptis iam recensitis libris communia habeant, facile deprehendas. Haec sunt autem actuum propria quod ueluti S. Luciani Antiocheni[4] gesta, ab haereticis scripta uidentur esse.

Leo enim papa primus Turibio scribebat :

> Apocryphae autem litterae quae sub nominibus apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicendae, sed etiam penitus auferendae sunt atque ignibus concremandae... Quamuis enim sint in illis quaedam quae uideantur speciem habere

1. *Ad Sempronianum Nouatianum* I, 2 (P. L. 13, 1053).
2. *Haeres.*, 51, 6. — Ex codice Marciano 125 quo usus est Corssen, apud Lipsium, I, 96, n. 1.
3. Cf supra.
4. Cf. Batiffol, *Études d'hagiographie arienne. La passion de saint Lucien d'Antioche* (*C. R. du Congrès international des Savants Catholiques*, 1891, II, 181).

pietatis, numquam tamen uacuae sunt uenenis et per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos laqueis cuiuscumque erroris inuoluant[1].

Haereticos eos quos hic Leo in mente habebat, Augustinus et Philastrius Manichaeos appellant, Pacianus Phryges, id est Montanistas, Turibius Priscillianistas. Quos Manichaeos, Phryges, Priscillianistas quadam cognatione inter se esse iunctos quis iam dubitabit, cum iisdem utantur libris? Ceterum tales esse dicuntur : postquam enim Philastrius Manichaeos nominauit, pergit : *et alii tales*, et beatus Leo Manichaeos cum Priscillianistis cognatos esse dilucide confirmat[2] :

Faciunt hoc Priscillianistae, faciunt Manichaei, *quorum cum istis tam faederata sunt corda, ut solis nominibus discreti, sacrilegiis autem suis inueniantur uniti*[3].

Quid autem inter manichaeismum latinum postaugustinianum et graecum tertii saeculi manichaeismum intersit, nihil incaute esse asserendum inter doctos satis liquebit, donec hunc graecum tutius non cognoscimus.

Hoc contra tuto asseri potest, duplicem quandam speciem actus illos manichaeos praebuisse : gesta enim historice narrata et theologicas disputationes referebant.

Ut autem, ait Turibius[4], mirabilia illa atque uirtutes, quae in apocryphis scripta sunt, sanctorum apostolorum uel esse vel potuisse esse non dubium est, ita disputationes assertionesque illis sensuum malignorum ab haereticis constat esse insertas, ex quibus scripturis diuersa testimonia blasphemiis omnibus plena sub titulis suis adscripta digessi.

Quae « mirabilia illa atque uirtutes » Leonis « mirabilium narratio[nem] » in mentem uocant et locum alterum

1. P. L. 54, 688.
2. P. L. 54, 689.
3. Cf. infra, p. 51, not.
4. Turibius Idacio et Ceponio episcopis, 6 (P. L. 54, 694).

magis clarum ex Philastrii libris excerptum. Postquam Andreae et Ioannis, Petri et Pauli commemorauit actus, ita persequitur :

In quibus quia signa fecerunt magna et prodigia, ut pecudes et canes et bestiae loquerentur etiam et animas hominum tales uelut canum et pecudum similes imputauerunt esse haeretici perditi[1]...

quae prodigia, qualia fuerint, is sane perspiciet qui actus Petri cum Simone Vercellenses legerit[2].

De « uirtutibus et mirabilibus » haec hactenus. Illa autem de theologicis « disputation[ibus] assertion[ibus]que illis sensuum malignorum ab haereticis... insert[is] » tuto dici possunt. In libro *de Fide* 38 legimus :

Attendite in actibus Leucii quos sub nomine apostolorum scribit, qualia sint quae accipitis de Maximilla uxore Egetis quae cum nollet marito debitum reddere (cum apostolus dixerit : uxori uir debitum reddat, similiter et uxor uiro) illa supposuerit marito suo ancillam, Eucliam nomine, exornans eam, sicut ibi scriptum est, aduersariis lenociniis et fucationibus, et eam pro se uicariam supponens, ut ille nesciens cum ea tamquam cum uxore concumberet[3].

Augustini uerba, ni fallor, ita sapiunt ut ostendant Andreae actus haec de Maximilla uxore narrasse nec reprobasse; fortasse etiam illud uerbum « *attendite* » significat hac narratione actus manichaeos uxores impulisse ut uiris debitum reddere nollent. Quae quidem sententia cum uerbis quibus Turibius utitur[4], — et ea sensum duplicem capientia uerba uidentur significare, — satis apte congruit. Alterum autem ex praedictis Petri cum Simone actibus locum excerptum affero :

Vna autem forma formosissima, Aluini clarissimi uiri amici Caesaris coniunx nomin [e] Xantippe, cum alias matronas conueniens

1. *Haeres.*, 88 (P. L. 12, 1200).
2. Lipsius, *Acta Petri*, 70.
3. P. L. 42, 1150.
4. « Malignorum sensuum. »

ad Petrum de castitate seruanda sustulit se a marito; ipse autem furiens et amans eam mirabatur quod neque in eodem lecto maneret... multae autem conplures et aliae honestae feminae, audientes uerbum de castitate, recedebant a uiris suis, et uiri a mulieribus, propter quod uellent caste et munde deo seruire[1].

Plura huc conferre non decet, cum quae ad nos usque peruenerunt scripta, ea haereticorum non integras et genuinas, sed a Catholicis retractatas et temperatas uersiones referre, illa iam dicta de Maximilla et Euclia historia ostendat, quam ex Andreae actibus excerptam nomina declarant, quam tamen in uersione eorumdem nulla reperimus. Versio Vercellensis incorrupta qua sumus usi Petri cum Simone actuum, ab Adalb. Lipsio edita[2], una fortasse a beati Augustini temporibus repetit originem, cum in codice uno — et manca — ita reperta sit, ut eam ab amanuensibus fere numquam rescriptam, fere numquam ideo esse castigatam et mitigatam ducas. Hanc autem a Philastrio Brixiensi et Ambrosio Mediolanensi cognitam esse suspicor : Philastrius enim, dum in loco supra dicto... *prodigia ut pecudes et* CANES *et bestiae loquerentur* commemorat, nonne hunc indicat locum :

Simon intus ad canem ita dixit : Dic Petro intus me non esse. Ad quem canis coram Marcello ait : Improuissime et inpudorate et inimicissime omnium animantium et credentium in Jesum Christum... Et cum dixisset canis haec uerba discessit[3].

Ambrosius autem in sermone *contra Auxentium* ita loquitur :

Idem Petrus postea uicto Simone, cum praecepta dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos gentilium : quibus eum quaerentibus, christianae animae deprecatae sunt ut paulisper cederet... Nocte muros egredi cœpit et uidens sibi in porta Christum

1. Lipsius, *Acta Petri,* 87.
2. Id., *id.,* 45-103.
3 Lipsius, *op. cit.,* 59-60.

occurrere urbemque ingredi, ait : Domine quo uadis? Respondit Christus : Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus...; sponte remeauit[1].

Dum illa refert, nonne Ambrosius ex uercellensi uersione haurit, in qua, postquam Simonis uicti et in urbem « nomine Castorem Terracina... tulti » mors narrata est, de Petro « castitatem » docente agitur, et de tumultu ab eo ita concitato, et de ira Albini agitur dicentis « Occidamus... illum, ut possimus coniuges nostras possidere ».

Conlocutio itaque facta est a Sanctippe, rettulit enim Petro et rogabat eum ut exiret a Roma ut ad hora malus locum non haberet, haec et omnes fratres ei dicebant quibus[2]...

Cetera quidem in codice uercellensi desiderantur, sed qualia fuerint, cum Ambrosiano textu plane congruentia Athoii et Pathmii codicum uersio graeca ostendit :

Πεισθεὶς δὲ τοῖς ἀδελφοῖς ἐξῆλθεν μόνος... ὡς δὲ ἐξῄει τὴν πύλην, εἶδεν τὸν κύριον εἰσερχόμενον εἰς τὴν Ῥώμην. Καὶ ἰδὼν αὐτὸν εἶπεν· Κύριε, ποῦ ὧδε; καὶ ὁ κύριος αὐτῷ εἶπεν· εἰσέρχομαι εἰς τὴν Ῥώμην σταυρωθῆναι[3]...

Quod ambrosiana oratio ex liniana uersione[4] non pendet, hoc ex eo certissime colligitur quod in liniana « *in custodia squalidissima compedibus* » *iam uinctus est Petrus* cum Xandips ad eum mittit « ut Roma (exeat) et insidias paene ineuitabiles (declinet) » : in uercellensi autem ueluti in ambrosiana uersionibus, eadem fugam suadente, *adhuc Petrus est liber*. Quae cum ita sint, satis mihi causae uidetur esse, cur uerisimiliter ex uercellensibus actibus Ambrosius hausisse habeatur actusque iidem ab exeunte saeculo quarto originem latinam repetere putentur.

1. *Contra Auxentium,* 13, P. L. 16, 1007.
2. Lipsius, *op. cit.,* 85-87.
3. Id., *id.,* 82.
4. Id., 2 et 6. — Cf. Albert Dufourcq, *Étude sur les « Gesta Martyrum » romains.*

Inter omnes igitur haereticos — uulgo manichaeos dictos — Apostolorum actus, qui ab Augustino ad Leonem papam in latinis prouinciis circumferebantur, actus Petri cum Simone Vercellenses ab iniuria temporum abfuisse et uerba genuina sua ab omni catholica retractatione pura huc usque asservasse uidentur.

II

Iisdem temporibus suspicandum est quae de Iesu Christo in graecis orientalibusque regionibus tradita erant, eadem ad Latinos deuenisse: quae in series tres diuidi possunt prout ad Mariam Virginem aut ad Iesum Christum aut ad doctrinam christianam pertinent.

Haereticorum librorum de Maria Virgine recensiones latinas, quae a protoeuangelio Iacobi graeco fluxerunt, — et eas apud Constantinum Tischendorf editas reperies, — caute neglegam, quippe quarum[1] nulla, ut uidetur, aetati nostrae adscribi et a catholicorum retractationibus pura haberi possit. Hoc contra certum confirmare licet, Manichaeos «ortum Mariae uirginis et natiuitatem et infantiam domini» narrasse opusque suum sub patrocinio Matthaei euangelistae protulisse in lucem, cum recensio catholica pseudo-hieronymiana eiusdem historiae — de qua infra agetur — id testetur aperte[2]. Quomodo autem Maria uita cesserit, haeretici retulerunt quoque. Librum enim *de Transitu Mariae* a Leucio compositum Melito profert[3], cuius aetas et origo mentione Leucii satis aperte ostenduntur.

Saepe scripsisse me memini de quodam Leucio.... Nec solum sibi sufficere arbitratus est, uerum etiam beatae semper uirginis Mariae genitricis dei ita impio deprauauit stilo ut in ecclesia dei non solum legere sed etiam nefas sit audire.

1. Cf. *Bibliotheca Hagiographica latina*, fasc. IV. p. 791.
2. Cf. Part. II, cap. III, p. 80-81.
3. Cf. infra, p. 84 et 85, not. 1.

Tractatus de pueritia Iesu secundum Thomam infantiam Christi ordine pandit[1]. Incipit liber cum Maria et Ioseph in Ægyptum fugiunt cunctaque narratio miraculis satis ineptis quasi distincta apparet[2]; finis imponitur cum Iesus annum XXX^um^ complet et Pater declarat : « Hic est filius meus dilectus in quo acquiesco. » — Huius uersionis aetas certo statui nequit. Cum tamen in codice palimpsesto saeculi quinti a Tischendorfio reperta sit, cum ex altera parte Ambrosius et Hieronymus[3] priores de eo sint locuti, credere est eam tum primum fuisse editam; in hoc etiam est attendendum, ut hoc in libro ita in euangelio Matthaei, cum Christi tum Mariae tertii anni mentionem esse factam, quae libros ab eodem fortasse esse scriptos denuntiare uidetur.

Euangelium quod apud Vincentium Bellouacensem Nicodemi nuncupatur, in utraque parte sua Actibus scilicet Pilati[4] et Descensu in Inferos[5] quae de Christi morte memorabantur refert. In gestis Pilati uidemus Iesum ex inuidia Iudaeorum Pilato esse traditum quia se filium dei et regem diceret, eiusque quoque passionis narrationem legimus et resurrectionis et assumptionis. Cum Pilati gestis liber de Descensu ad Inferos cohaeret et nos docet Christum in uitam rediisse et alios secum ad uitam reuocasse et eumdem, postquam animam in cruce reddidisset mirabilia apud inferos gessisse.

Quaerenti autem quando libellus uterque conscriptus sit,

1. Tischendorf, p. 156.
2. Id., p. 157.
3. «Et aliud quidem fertur Euangelium, quod duodecim scripsisse dicuntur. Ausus est etiam Basilides Euangelium scribere quod dicitur secundum Basilidem. Fertur etiam aliud Euangelium quod dicitur scribitur secundum Thomam. Noui aliud scriptum secundum Matthiam.» (Ambrosius, *In Lucam*, I., P. L. 15, 1533.) — « Plures fuisse qui Euangelia scripserunt et Lucas euangelista testatur, dicens... ; et perseuerantia usque ad praesens tempus monimenta declarant, quae a diuersis auctoribus edita, diversarum haereseon fuere principia, ut est illud iuxta Ægyptios, et Thomam, et Matthiam et Bartholomaeum, duodecim quoque apostolorum, et Basilidis atque Apellis...» (Hieronymus. *In Matthaeum*, I. P. 7, 17.)
4. Tischendorf, p. 315. « Annas et Caiphas, Summas et Datam...»
5. Id., p. 368. «Et exsurgens Joseph dicit ad Annam.... »

coniecturarum campus late patet. Tertullianus enim sane, postquam multa de Pilato et Iudaeis et Christo narrauit quae fere eadem in nostris leguntur actibus, ita loquitur :

> Ea omnia super Christo Pilatus et ipsa iam pro sua conscientia Christianus Caesari tunc Tiberio nuntiat[1].

Cum uero graeca uteretur lingua, utpote qui graeco sermone aliquot libros scripserit, nihil est causae cur eum gesta Pilati latina nostra nouisse contendamus. Cum autem Orosius, augustiniana aetate, iisdem Pilati gestis utatur[2], fortasse euenit ut aliquam tum nuper editam latinam uersionem nouerit quae Latinis fabulam legendam praeberet : nonne Longini militis, Iamni et Mambris nomina in Petri Paulique latinis tum lectis actibus inueniuntur et prologus copticus Theodosii et Valentiniani mentionem facit[3]?

Haud aliter Descensus ad Inferos textus latinus a Constantino Tischendorf prior editus ad aetatem augustinianam fortasse nos reuocat, cum, etsi testimonia desunt et stilus sane diuersus est a stilo librorum certorum, hoc certe cogitare tecum possis cur anonymus Leucium aliquem — quem in exemplari graeco frustra quaeras — in recensionem latinam induxerit Simonisque senis filium finxerit; Michaelis autem archangeli mentio, Romae saeculo quinto sollemni religione culti et anonymi nostri cura

1. « Christum, hominem utique aliquem, qualem Iudaei iudicauerunt, quo... Dehinc ordinatis eis ad officium praedicandi per orbem, circumfusa nube in caelum est ereptus, multo uerius quam apud nos asseuerare de Romulo Proculi solent. Ea omnia super Christo Pilatus et ipse iam pro sua conscientia christianus, Caesari tum Tiberio nuntiauit. » (*Apol.* 21. — P. L. 1.392, 402-403.)

2. « At postquam passus est..., Pilatus praeses Palestinae prouinciae ad Tiberium imperatorem atque ad senatum retulit de passione atque de resurrectione Christi consequentibusque uirtutibus quae uel per ipsum palam factae fuerant, uel per discipulos ipsius in nomine eius fiebant et de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. » (Orosius, *Hist.* VII, 4. — P. L. 31, 1066-1067.)

3. « Ego Ænias primum fui...; ego uero ea in ethnicas litteras conuerti, regnantibus excelsis Theodosio qui decimum septimum consulatum agebat... » (Tischendorf, 313.)

auctoritatis uersionis suae augendae cum Leucii nomine congruere et aetatem manichaeam uidentur redolere[1]. De illis igitur, dum nil certi erit asserendum, facile crediderim latinas uersiones, Augustino uetustiores, eius aetate rursus esse editas.

Qui inscribuntur *Thesauri Manichaeorum*, aut *Liber Gigantum* aut *Hymnus Domini* aut inprimis *Memoria Apostolorum*[2] libri theologica quaedam opera fuisse uidentur in quibus Iesu Christi doctrinam, qualem profitebantur haeretici, explicabant.

Manichaei et Priscillanistae... omnem haeresem suam confirmare nituntur..., maxime ex blasphemissimo illo libro qui uocatur Memoria Apostolorum in quo ad magnam peruersitatis suae auctoritatem doctrinam domini mentiuntur, qui totam destruit legem Veteris Testamenti et omnia quae S. Moysi de diuersis creaturae fautoris diuinitus reuelata sunt, praeter reliquas eiusdem libri blasphemias quas partaesum est[3]...

Quae uerba Leonis epistulis et conciliorum, quae iussu eius Toleti et in Gallaecia habita sunt, professione fidei publica confirmantur et illustrantur[4] : « Alterum Deum esse priscae Legis, alterum Euangeliorum » contendebant atque mundum et diabolum, qui ex Chao et Tenebris emersisset, non ab eo Deo factos esse de quo scriptum est : « In principio fecit Deus caelum et terram ; » duos igitur deos Manichaei confitebantur, quorum prior Testamentum Vetus, quorum alter Euangelium hominibus ostendisset[5].

De reliquis autem eiusdem libri « blasphemiis » satis liquet. Orosius enim ita loquitur in Commonitorio ad Augustinum.

1. Eaedem litterae Pontii Pilati in Descensu ad Inferos (Tischendorf, 392) et in Petri Paulique gestis (Lipsius, 135) leguntur.
2. In damasiano concilio plures inuenies.
3. *Turibius Idacio et Ceponio episcopis* (P. L. 54, 694).
4. Denzinger, *Enchiridion...* (VII^a editio, 1895), 103, 114, 121, 122.
5. Cf. infra Ioannis Euangelistae et Simonis Iudaeque gesta catholica, in quibus haec Manichaeorum doctrina refellitur. Cf. Douai, *Revue Biblique*, 1894, p. 126.

Et hoc ipsum confirmans (Priscillianus) ex libro quodam qui inscribitur Memoria Apostolorum, ubi Saluator interrogari a discipulis uidetur secreto et ostendere quia de parabola euangelica quae habet *exiit seminans seminare semen suum* non fuerit seminator bonus : asserens quia, si bonus fuisset, non fuisset negligens, non uel secus uiam, uel in petrosis, uel in incultis iaceret semen : uolens intelligi tunc esse seminantem qui animas captas spargeret in corpora diuersa quae uellet. Quo etiam in libro de principe humidorum et de principe ignis plurima dicta sunt, uolens intelligi arte non potentia dei omnia bona agi in hoc mundo. Dicit enim esse uirginem quandam lucem quam deus uolens dare pluuiam hominibus principi humidorum ostendat : qui dum eam apprehendere cupit, commotus conrudet et pluuiam faciat et destitutus ab ea mugitu suo tonitrua concitet. Trinitatem autem solo uerbo loquebantur : nam unionem absque ulla existentia aut proprietate asserens, sublato et Patre, Filium et Spiritum Sanctum hunc esse unum Christum dicebat[1].

Si quid ergo Orosio creditur, et Trinitatem et Dei potentiam et Euangeliorum auctoritatem Manichaei « *solo uerbo loquebantur* », utpote qui et Euangelium directe carperent sub specie eius explanandi, et beneficiorum diuinorum « arte, non potentia dei » rationem redderent, et Patrem denique abolerent Filiumque ac Spiritum Sanctum in persona una, quae Christus esset, confunderent. Quae de Deo doctrina Sabellianismum sapiens scriptis aliis explanari potest. Leonis enim papae epistola XV^a^ ad Turibium missa, quae eiusdem capitula sedecim comprobat, aperte ostenditur « quam impie sentiant de Trinitate diuina qui et Patris et Filii et Spiritus Sancti unam atque eamdem asserunt esse personam, tamquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur : nec alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque processit[2]. »

1. Orosii *Commonit.* (Schepps, 153-154). — Cf. S. Seueri *Chronic.* II, 46-51 [Halm. 99], et *Dialog.* II (III), 11 (*id.*, 211).
2. Denzinger, *Enchiridion*... 98.

Toletani patres similiter declarant :

« Si quis dixerit aut crediderit Deum Patrem eumdem esse Filium uel Parecletum, A. S. Si quis dixerit uel crediderit Filium eumdem esse Patrem uel Paracletum, A. S. Si quis dixerit uel crediderit Paracletum esse uel Patrem uel Filium, A. S. »

Et iidem fidei professionem de Trinitate[1] accuratam et uberrimam edunt. Cum *Memoria Apostolorum* Euangelia explanare uideretur, liber ille christianam dei notionem et christianarum scripturarum cohaerentiam penitus euertebat.

Duplex igitur species, cuius in apostolicis scriptis notatae lector fortasse meminit, in quibus reperiebantur historica gesta et disputationes « theologicae », simili modo, quasi uero seiuncta, in libris ad Christum pertinentibus rursum apparet, cum in Apostolorum memoria, tum in reliquis iam dictis libris. Historica in utraque scriptorum serie inter se cognata uidentur esse, quippe quae ambo eas priscas traditiones asseruent quae, in forma primigenia, tamquam minus pura et germana, ab ecclesiis non sunt recepta. Theologica autem utrorumque scriptorum inter se, ut uidetur, artissime cohaerent. In apostolicis enim traditionibus de continentia maxime agitur; in « iesu-christianis » metaphysica quaedam adduntur praeceptis moralibus, quae et Euangelii auctoritatem et Filii hominis deitatem et Dei unitatem euertunt : unde patet haereticos christianae doctrinae tantum retinuisse speciem et in eam philosophiam, in « dualismo » et « ascetismo » nisam, lectorem quasi induxisse. Dualismum autem quis dubitat quin in ontologia exprimat moralem dualismum, qui in cunctis asceticis doctrinis latet? Immo quantum secum congruant librorum utriusque seriei theologicae notiones, non tantum ex philosophica earum cohaerentia colligis, sed etiam ex aliquot scriptorum expressis locis. Eadem enim qua iam

1. Denzinger, *Enchiridion*... 113, 115, 116, 117, 98, 100, 101, 106, 118, 126. — Cf. Vincentii Lirinensis *Commonitorium* (Tommassi *Opera*, Vezzosi, VIII, 135-136 et 131-132).

usi sumus Leonis epistula, et haereticorum de Trinitate errores damnat et eorum de nuptiis doctrinam : utrumque igitur iidem profitebantur.

Septimo loco sequitur, ait, quod nuptias damnant et procreationem nascentium perhorrescunt... Octauum ipsorum est plasmationem humanorum corporum diaboli esse figmentum et semina conceptionum opera daemonum in mulierum uteris figurari : propter quod resurrectionem carnis non esse credendum quia concretio corporis non sit congruens animae dignitati[1]...

Haud aliter, Leonis exemplo fretus, anonymus qui gesta Iohannis melitoniana scribit, Manichaeorum de principiis duobus et carnis origine « diabolica » doctrinam insectatur qui in leucianis scriptis docebant « duorum... contrariorum principiorum hominis exstitisse facturam et animam a bono deo conditam, carnem uero a malo et necessitate carnis animam inuolui peccatis. »

Cuius manichaeismi[2] a principiis Latinos abhorrere constat; ex oriente autem, ubi uoluptatum flagitiis quasi in contrarium excitata uita ascetica semper floruit, eam philosophiam exortam esse suspicari licet : quae quidem

1. *Enchiridion*, 104-105.

2. De diuina humanae animae natura, cf. *Enchiridion*, 102, 107, 124. — Augustini *Opera* apud Migne, tom. VI, 523, 297; VII, 336; II, 718; X, 516. — De uirtutibus animae et potestatibus corporum, cf. *Ench.* 109, 110. — Hoc est compendium reliquae Manichaeorum ac Priscillianistarum doctrinae (inter eos quae cognatio intersit infra uidebis). « Priscillianistae, quos in Hispania Priscillianus instituit, maxime Gnosticorum et Manichaeorum dogmata permixta sectantur... Animas dicunt eiusdem naturae atque substantiae cuius est Deus ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum per septem caelos et per quosdam gradatim descendere principatus, et in malignum principem incurrere a quo istum mundum factum uolunt atque ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari. Astruunt etiam fatalibus stellis hominum colligatos ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa coeli esse compositum, sicut hi qui mathematici uulgo dicuntur. — Opificium quippe omnis carnis non Deo bono et uero, sed malignis angelis tribuunt : hoc uersutiores quam Manichaei, quod nihil Scripturarum canonicarum repudiant, simul cum apocryphis legentes omnia et in auctoritatem sumentes, sed in suos sensus allegorizando uertentes... De Christo Sabellianam sectam tenent, eumdem ipsum esse dicentes non solum Filium, sed etiam Patrem et Spiritum Sanctum. » *De Haeresibus*, LXX. P. L. 42, 44. Cf. *Iohannis Gesta melitoniana* (P. G. 5, 1239) et S. Vincentii Lirinensis *Commonitorium*, 20 (apud Tommassi Vezzosi, VIII, 135).

opinio non tantum notionum natura uerum etiam permultis scriptis nititur. Omnes fere latini textus quos hactenus recensuimus, ex graecis exemplaribus saepissime asseruatis pendent : apocrypha igitur latina quae a beato Augustino usque ad Leonem Magnum effloruerunt, ex Oriente sunt prouecta.

Nunc nobis promptum est ea quae scripta sunt ab Augustino usque ad Leonem cum iis quae post Leonem usque ad Hormisdam sunt redacta conferre. Tribus rebus inter se differunt, quarum prima est quod haec ut iam supra dictum est, uernacula sunt, illa uero sine controuersia ab extero fonte fluunt; deinde haec, quamquam ad doctrinam non arte pertinent, catholicam fidem redolent, illa autem e quibusdam philosophiae disciplinis haud proprie christianis manant; ii denique qui christianae fidei erant infensi, ea quae de doctrina sentiebant, in libros suos instillare sunt conati, neque aperta ac sincera disputatione ea confirmare studuerunt.

Cavendum est autem ne propter illa nos fugiat quae inter scripta ea similitudo intersit. Vtraque apocrypha historicam speciem, ut ita dicam, prae se ferunt, cum Catholici qui, Leonis temporibus, *Librum Pontificalem* seu *Gesta Martyrum* seu *Eusebianum Martyrologium* scribunt, uera narrare et historicorum uices se explere contendant, haud secus ac Manichaei qui ante beatum Leonem res Christi, Virginis et Apostolorum litteris mandant. Hoc autem magni est momenti quod *non ob aliam causam Manichaei doctrinam suam historia quasi inuoluere studuerunt quam quod id sua interesse putabant:* quae quidem ratio, ut opinor, re uera eorum multum interfuit : pietatem enim et cognoscendi studium quo flagrabant fideles sibi conciliabant et eos ad se perducebant cum praeclaros patronos producerent et origines obscuriores ecclesiarum eorum explanarent. Quod catholicis curae fuisse arbitrari licet, qui, cum ex quodam desiderio quo uere ardebant Christiani utilitatem haereticos

capere intellegerent, illorum exemplo usi, ut scripta sua nominibus insignium patronorum commendarunt, ita etiam ad scribendum sunt excitati. Quae cum ita sint, apocrypha manichaea ante Leonem magnum composita altera esse causa uidetur, propter quam post pontificem illum apocrypha catholica sunt redacta.

PARS ALTERA

Opinio nostra de altera causa, propter quam post Leonem papam primum apocrypha catholica sunt redacta, eo propius ad fidem accedere uidetur quod nos huc necessario adducit ut in Manichaeos noua molientes intentos esse Catholicos eosque aduersus hostem pugnare cogitantes putemus. Quam contentionem ex monimentis cognouimus : utriusque orthodoxae et haereticae seriei adhuc descripta apocrypha sacrum quoddam certamen inter Christianos ortum ostendunt et fere declarant — de quo iam nunc est dicendum.

CAPUT PRIMUM

DE MANICHAEORVM ECCLESIIS LATINIS QUINTO SEXTOQUE SAECVLO

Ex asseruatis scriptis quae quidem rariora exstant, vix colligitur usque quo peruenerint Manichaeorum ecclesiae latinae. Eas in Africa floruisse testantur Augustini libri, quaestio Muciani iussu habita (386)[1], historia Victorini Malliensis diaconi[2], quaestiones a tribuno Vrso (421) et a Theodoro (427) indictae[3]. Temporibus illis peractis, monimenta rarissima fiunt : Hunericum, Vandalorum regem (477-484) Manichaeos inquiri iussisse Victor Vitensis[4] refert eosque arianos fieri coegisse. Quae Manichaeorum Africanorum

1. *Contra litteras Petiliani*, III, 30 (P. L. 43, 362).
2. Augustinus Deuterio episcopo. Ep. IV, 236 (P. L. 33, 1033).
3. *Haeresib.* 46 (P. L. 42, 36). Cf. *De Natura boni*, 47 (P. L. 42, 570).
4. *Hist. pers. Vandal.* II, 1 (P. L. 58, 201).

mentio ultima exstat; nec mirum : cum a Catholicis primum, ab Arianis deinde vexarentur, eorum ecclesias esse lapsas intelleges.

In Galliis de Manichaeis loquuntur Philastrius[1], Augustinus, Vincentius Lirinensis in *Commonitorio*[2], Iulianus Pomœrius[3] arelatensis rhetor qui circa annum 498 eorum disciplinam de carnibus exsecrandis castigat; Massiliae sarcophagi duo reperti sunt, in quibus Petrus cum Simonis cane loquens et Plautilla Paulo pannum porrigens effinguntur[4].

In Hispaniis haeretici — siue Manichaei, siue Priscillianistae nuncupantur[5] — permulti, ut uidetur, euaserunt.

1. *Haeres.* 61 (P. L. 12, 1176).
2. Cf. supra, p. 46, 47.
3. *Vita Cont.* II, 24 (P. L. 59, 470).
4. *Bull. arch. crist.*, 1867. 70. — Le Blant, *Sarcophages chrétiens de la Gaule*, 114.
5. Priscillianistae Manichaeorum dogmata omnia non accipiebant. Vnitatem enim Dei Priscillianistae profitebantur et Catholicorum libros canonicos recipiebant omnes. Priscillianus Manichaeos ita lacessit :

« Animaduertentes enim sensum lectae lectionis dicentis : in principio fecit deus caelum et terram, scitote omnia deum fecisse quae facta sunt (p. 65)... Videns ergo futura haereticorum dogmata et diuersa ingenia disputantum, quod alii amant non factum sed perpetuum fuisse mundum et ideo cuius non sit initium futurum semper aeternum, alii sibimetipsi in voluptatibus blandientes, dum omne quod peccant non sibi sed malitiae diaboli uolunt imputare uel saeculi, cum scribtum sit : Efrem ipse... sic mundi per haec accusantes naturam, propter quod hoc malum iudicant, nihil in his quae apparent deum fecisse confirmant et corporalibus concupiscentiis delectantes facturam corporis sui adsignantes diabolo putant se nescire quae faciunt et quae in corporibus suis peccant diuinae dispositionis sollicitudine non teneri, cum scribtum sit : corpus... alii Solem et Lunam luminaria ad ministerium hominum constituta aestimantes deos principatibus mundi aelementorum tribuunt potestatem, cum scribtum sit... » (Schepps, p. 63.) Augustinus in epistula ad Ceretium episcopum missa (P. L. 33, 1035, 1038) ait : « Manichaei canonicum librum cuius titulus est *Actus Apostolorum* repudiant... Priscillianistae uero accipiunt omnia et canonica et apocrypha simul. »

Priscillianistae autem quadam doctrinae cognatione cum Manichaeis continebantur, ut ex eodem Augustino et Leone papa accepimus (cf. eamdem epistulam et *De Origine animae hominis*, III, 7. — P. L. 33, 723, cf. supra) : eadem pleraque fere atque ii sentiebant, sed cautius praedicabant. « Quaecumque, ait Augustinus in epistula supradicta, quae contra eos sunt, in suae peruersitatis sensus aliquando callida et astuta, aliquando ridicula et hebeti expositione peruertunt. Cum ipsi alia cum suis sentiant atque inter suos doceant siue discant quae non audent prodere, quoniam reuera nefaria sunt et detestanda, tamen fidem catholicam eis quos timent praedicant, non quam teneant sed sub qua lateant. Possunt enim aliqui haeretici reperiri fortasse immundiores, sed nullus istis fallacia comparatur...; etiam cum falsa iuratione (mentiuntur). Hi qui eos experti sunt et ipsorum fuerant..., etiam uerba ipsa praecepti huius commemorant : « iura, periura, secretum prodere noli. » Priscilliano mortuo, tunc

Marcum, Priscillianistae, ut ferunt, ducem sectae, manichaeum fuisse contendit Augustinus; Priscillianum ipsum Patres Caesaraugustani damnauerunt[1] circa annum 380; saeculo quinto, quantum ecclesiae haereticae floruerint concilii Toletani primi (400) canones et epistula Innocentii papae primi ad episcopos Hispaniae testimonio sunt[2]. Saeculo eodem, Turibius seu Thoribius episcopus Asturicensis, haereticos plurimos in Galloecia inuenit et eorum errores scriptis confutauit[3]; uerum quoniam episcopos non-

praesertim, ut opinor, Manichaei et Priscillianistae inter se mox sunt iuncti. Apud eos, ascetismus cum moribus dissolutis iungebatur (S. Seuer. *Chr.* II, 50, Halm. 103).

Dein utrique libris apocryphis, praedicationis callidae suae instrumento apto, utebantur: Priscillianum audi — aut auctorem quemlibet libri *De Fide*: « Si enim omne quod dicitur in libris canonis quaeritur et plus legisse peccare est..., ac si extra auctoritatem nihil uel adsumendum est uel tenendum, non possumus tantum fabulis credere et non historiam scripti factorum probatione retinere... (p. 47). Paulus dixisse deum ait: beatius est dare magis quam accipere et hoc locutum deum in canone non legimus... (p. 49). Non dubito autem quemquam ex his qui calumnias potius quam fidem diligunt esse dicturum: ultra nihil quaeras! sufficit te legere quod in canone scribtum est... (p. 53) Quomodo nos diuinas sanctorum respuimus profetationes, et dum obaedimus uoluntatibus nostris, his qui deum profetauerint inuidemus relinquentes apostolica praecepta dicentia: spiritus nolite extinguere, profetias nolite repudiare (p. 54)... Numquid damnabilis apud nos apostolus fuit, quae epistulam quae in canone non erat discipulos suos legere permisit (p. 55); (neque, tanquam ab haereticis lecti aut falsati, extra canonici libri sunt reiciendi). » « Si enim omnia quae legunt damnare uolumus, certe quae etiam in canone sunt relata damnamus. » (p. 56.) (*Tract.* III, *De fide et de apocryphis.*)

Tertio Manichaeorum qui ad Catholicos conuertendos maxime studebant, multum intererat se cum Priscillianistis esse coniunctos, cum Priscillianus, statim occisus, maxima auctoritate, apud omnes ualeret: « Priscilliano occiso, non solum non repressa est haeresis..., sed *confirmata latius propagata est.* Namque sectatores eius qui eum *prius ut sanctum* honorauerant, *postea ut martyrem colere cœperunt.* Peremptorum corpora ad Hispanias relata *magnisque obsequiis* celebrata eorum funera: *quin et iurare per Priscillianum summa religio putabatur.* » (S. Seuer. *Chr.* II, 51; Halm, p. 104.) — Cf. in summa Leonis Epist. XV ad Turibium inis. cap. 16 [P. L. 54. 689]: « Faciunt hoc Priscillianistae, faciunt Manichaei...; ad unum tamen finem utrorumque tendit intentio cum.... »

1. Mansi III, 633. Comprobatum est Priscillianum cum Istantio, Saluiano et Helpidio fuisse damnatum, quanquam in *Libro ad Damasum* negauit: *Sententia definitiua* (400) Sulpicium Seuerum corroborat. Cf. G. Cirot, *Erreur d'historien ou mensonge d'hérétique* (*Bulletin Critique*, 1897, 350). *Priscilliani quae supersunt...* Georgius Schepps (Vindobonae, Tempsky, 1889). *Priscillianus...* von Friedrich Paret (Wurzbg, 1891).

2. Mansi III, 997 et 1005-1006 (Sententia definitiua). Cf. Innocentii papae primi Epistula tertia de dissensione... (P. L. 20, 486). — Regula fidei catholicae (Mansi III, 1002) concilio Toletano secundo adscribenda est.

3. Mansi VIII, 788-789. — 16 avril, 421. — Tillemont, XV, 451.

nullos, ueluti Priscilliani temporibus, error ipsos inuaserat Leoni papae causam detulit (447), cuius iussu habitum est Toleti concilium prouinciarum Tarraconensis, Carthaginiensis, Boeticae et Lusitaniae (448), cuius professione fidei iam usi sumus; et concilium alterum inter Asturicenses episcopos, — qui priori non interfuerant, — Balconio Bracarensi episcopo praeside, eodem anno, habitum est: utriusque autem concilii qui professioni fidei non subscripserunt, ii, ut uidetur, anathemate uincti sunt et communione separati. Ecclesias tamen haereticorum sexto saeculo viguisse Montanus monet[1] (c. 530) et ad extremum a Patribus Bracarensibus toletani canones rursus editi (563)[2].

In Italia denique ad septentrionem vergente Manichaeos impugnat Philastrius[3] Brixiensis, exeunte saeculo quarto; in regione suburbicaria Leo papa primus[4] (443); in Sicilia,

1. « Studere curavi ne cuiusquam perditi animam de manu mea Christus inquirat, praesertim cum Toletanae urbi metropolitani privilegium vetus consuetudo tradiderit et eo magis, non solum parochiarum, sed et urbium cura huius urbis solicitet sacerdotem... Praeterea perditissimam Priscillianistarum sectam, tam actis quam nomine a uobis praecipue nouimus honorari. Rogo, quae est ista dementia, in eius amore superflue labi, quem in opere non uelis imitari. Nam ut pauca de eius spurcitiis in notitiam uestri deducam..., omnium vitiorum in eodem congeries ueluti in sordium sentina confluxit: ut sectatricum pudorem impudefactus adulter eriperet et ut ad sceleris nefarii effectum facilius perveniret maleficii usum gesta etiam ei assignant... Ex (Theoribii episcopi)... libris qualiter cauere, quid respondere contra sacrilegos possit, pius lector, invenitur... » (*Epistula Montani ad fratres Territorii Palentini.* — Mansi, VIII, 788-789.)

2. Jo. R. Rianus effigiem quamdam « gnosticam » memorat in *Boletin de la Real Academia de la Historia :* febrero 1899, p. 124; quae ad aetatem nostram pertinere potest. — Licinanus Carthaginiensis episcopus, Vincentium episcopum Ebositanum, saeculi sexti extremo, deridebat qui apocrypham epistulam a Iesu Christo ipso, ut ferebatur, scriptam et in altare memoriae beati Petri a caelo demissam, fidelesque monentem ut diem dominicam colerent, populo publice legerat. (P. L. 62, 699.) His in litteris apocryphum hispanum quoddam Manichaeorum deprehendere mihi uideor, qui « philacteria... angelorum... nominibus... conscripta, confingebant » (cf. Decretum damasianum. P. L. 59, 180) et dominicam diem etiam ieiunando, seruabant (Tillemont, *H. E,* IV, 373). — Cf. *Note sur la légende de la lettre du Christ tombée du ciel* par le P. H. Delehaye (*Bulletin de l'Académie royale de Belgique*, classe des lettres, n° 2, février 1898, p. 171-213).

3. Cf. supra.

4. Cf. supra.

exeunte saeculo sexto, Gregorius Magnus[1]; eos Brundisii gesta Leucii episcopi[2] floruisse testantur.

Haereticos igitur ab Augustini temporibus usque ad aetatem Gregorii Magni[3] latinas regiones circum Internum mare iacentes tenuisse suspicari licet : neque dubitaueris quominus in eis nonnihil infuerit roboris, si modo cogitaueris quamdiu, quamuis uexatae, eorum ecclesiae[4] steterint.

Persecutionis longinquae cursus aetates duas amplectitur. In priore magistratus, principis auctoritate freti, in Manichaeos publice saeuiunt. Anno 372 iam eorum ecclesiae fisco fuerant publicatae[5]; anno 381, principes « testandi ac uiuendi iure romano facultatem » iis eripiunt neque eos aut relinquendae aut capiendae alicuius hereditatis habere (sinunt) potestatem[6]. » Eosdem lex a. 389 edita, a. 399 et 405 rursum edita infames declarat[7]; publicum crimen

1. Gregorius Cypriano diacono et rectori patrimonii Siciliae. « De Manichaeis qui in possessionibus nostris sunt, frequenter dilectionem tuam admonui, ut eos persequi summopere debeat, atque ad fidem catholicam reuocare... » (S. Gregorius Papa Primus, Epist. V, 8. — P. L. 77, 729. — Cf. Epist. II, 37. — P. L. 77, 575.)

2. *Acta Sanctorum*, 11 janvier 669.

3. Quomodo ecclesiae eae ordinatae sint, plane nescimus. Inter *auditores* et *electos* prioris aetatis, sine dubio, Manichaei diuidebantur.

4. Quae cognatio inter Manichaeos aetatis huius et eos qui « medio aevo » vexati sunt intercedat, hic et nunc inquirere non decet.

5. *Impp Valentinianus et Valens A. A. ad Ampelium Pf. V.* Ubicumque Manichaeorum conuentus uel turba huius modi reperitur, doctoribus graui censione mulctatis..., domus et habitacula in quibus profana institutio docetur, fisci uiribus indubitanter adsciscantur. *Dat. VI. Non. Mart. Treuiris, Modesto et Arintheo Coss.* (372). (C. Theod. XVI, v, 3. Haenel 1523. — Cf. Socrates, H. E. v. 2, (P. G. 67,568). — Sozomenus, VII, 1 (P. G. 67, 1417.)

6. *Impp. Gratianus, Valentinianus et Theodosius AAA. Eutropio Pf. P.* Si quis Manichaeus Manichaeaue ex die latae dudum legis... in quamlibet personam condito testamento uel cuiuslibet titulo liberalitatis atque specie donationis transmisit proprias facultates...., quoniam iisdem sub perpetua iustae infamiae nota testandi ac uiuendi iure Romano omnem protinus eripimus facultatem neque eos aut relinquendae aut capiendae alicuius hereditatis habere sinimus potestatem, totum fisci nostri uiribus imminentis indagatione societur... *Dat. VIII. Id. Maii Constantinopoli, Eucherio et Syagrio Coss.* (381). (C. Th, XVI, v, 7, Haenel 1527.)

7. *Iidem AAA. Floro Pf. P.* Quisquis Manichaeorum uitae solitariae falsitate cœtum bonorum fugit, ac secretas urbes eligit pessimorum, ita ut profanator atque corruptor catholicae quam cuncti suspicimus, disciplinae legi subingetur, ut intestabilis uincat.., aut proximus... melius regenda dimittat, aut fisci dominio deficiente agnatione.... intelligat obligata... *Dat. prid. Kal. April. Constantinopoli, Antonio et Syagrio Coss.* (C. Th. XVI, v, 9. — Haenel v. 1530).

Impp. Valentinianus, Theodosius et Arcadius AAA. Albino Pf. V. Quicum-

appellat lex anni 407 manichaeismi professionem[1]; annis 425 et 428 undique expelluntur[2]. Lex denique a. 445 sancita talia iubet :

Ubicumque terrarum quisquam Manichaeorum fuerit deprehensus, paenas quas in sacrilego iura sanxerunt, auctoritate publicae seueritatis excipiat.

Lex ultima igitur quam imperii Occidentis iam fere omnino lapsi principes edunt eamdem atrocitatem redolet

que sub nomine Manichaeorum mundum sollicitant, ex omni quidem orbe terrarum, sed quam maxime de hac urbe pellantur, sub interminatione iudicii... *Dat. XV. Kal. Jul. Roma, Timasio et Promato Coss.* (389). (C. Th. XVI, v., 18. — Haenel, 1535.)

Impp. Arcadius et Honorius AA. Dominatori Vicario Africae. Noxios Manichaeos exsecrabilesque eorum conuentus, dudum iusta animadversione damnatos, etiam speciali praeceptione cohiberi decernimus... *Dat. XVI. Kal. Jun. Mediolano, Theodoro V. T. Coss.* (399). (C. Th. XVI, v, 35. — Haenel, 1544.)

Iidem AA. et Theodosius A. Edictum. Nemo Manichaeum..., qui praecipue, ut comperimus, furere non desistant, in memoriam revocet... *Dat. prid. Id. Febr. Ravenna. Stilicone II et Anthemio Coss.* (405). (C. Th. XVI, v, 38. — Haenel, 1546.)

1. *Iidem AAA. Senatori Pf. P.* Quid de Donatistis sentiremus, nuper ostendimus. Praecipue tamen Manichaeos uel Phrygas siue Priscillianistas meritissima seueritate persequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus sit commune cum caeteris. § 1. Ac primum quidem uolumus esse publicum crimen, quia, quod in religione diuina committitur, in omnium fertur iniuriam. § 2. Quos bonorum etiam publicatione persequimur... § 3. Ipsos quoque uolumus amoueri ab omni liberalitate et successione, quolibet titulo uenientes. § 4. Praeterea non donandi, non emendi, non uendendi, non postremo contrahendi cuique conuicto relinquimus facultatem. § 5. In mortem quoque inquisitio tendit... *Dat. VIII. Kal. Mart. Roma, Honorio VII et Theodosio II AA. Coss.* (407). (C. Th. XVI, v, 40. — Cf. 41, 43, 48. — Haenel, 1546-1548.)

Iidem AA. Asclepiodoto Pf P. Post alia. Manichaei et Phryges, quos Pepuzitas siue Priscillianistas uel alio latentiore uocabulo appellant .., sciant uniuersa sibi hac quoque constitutione denegari, quae illis generalium sanctionum interdixit auctoritas... *Dat. V. Id. April. Constantinopoli, Asclepiodoto et Mariniano Coss.* (423). (C. Th. XVI, v, 59. — Haenel, 1566.)

2. *Imp. Theodosius A. et Valentinianus C. ad. Faustum Pf. V.* Manichaeos, haereticos... ab ipso adspectu Vrbis Romae exterminari praecipimus, ut nec presentiae criminosorum contagione fœdetur. . *Dat. XVI. Kal. Aug. Aquileiae Theodosio A. XI. et Valentiniano C. Coss.* (425). (C. Th. XVI, v, 62. — Haenel, 1567.)

Impp. Theodosius et Valentinianus AA. Florentio Pf. P. Haereticorum ita est reprimenda insania, ut... ecclesias statim catholicae ecclesiae tradendas esse non ambigant... Quoniam non omnes eadem austeritate plectendi sunt..., qui ad imam usque scelerum nequitiam peruenerunt, Manichaei nusquam in romano solo conveniendi orandique habeant facultatem...; cunctisque legibus quae contra hos... olim latae sunt semper viridi obseruantia ualituris...; ita ut nec in publico conuenire loco nec aedificare sibi ecclesias..., omni ciuili et militari, curiarum etiam et defensorum et iudicum, sub uiginti librarum auri interminatione, prohibendi auxilio... *Dat. III. Kal. Iun. Constantinopoli, Felice et Tauro Coss.* (428). (C. Th. XVI, v, 65. — Cf. 63 et 64. Haenel, 1569-1572.)

atque lex anni 372 : unde nonne suspicari licet uiros qui tales ferrent non tantum christianae religionis, sed etiam communi ciuitatis utilitati consuluisse? Cum Manichaei docerent « necessitate carnis (a deo malo conditae) animam inuolui peccatis »[1], cui in animo esset domitas habere libidines conari?

Quam sententiam confirmant scripta quae, prioribus multo crebriora, ad alteram in Manichaeos persecutionis aetatem pertinent episcoposque romani pontificis exemplo usos, in haereticos saeuiisse demonstrant : ex iis clare liquebit Manichaeos mores bonos comminuisse ideoque haud immerito communi bono infensos esse ductos. Dum quaestio a. 421 Carthagine habetur, Vrsus tribunus ac principis procurator nonnullos Manichaeorum electos, puellulam Margaritam duodecim annos nondum natam sacramque uirginem Eusebiam in custodiam conici iussit : qui in ecclesiam ducti, episcopis inter quos sedebat Augustinus, flagitia sua coacti confessi sunt : Margarita prior se uitiatam esse agnouit et Eusebia ab eadem conuicta, eiusdem criminis sese insimulauit.

Fere eadem in quaestione, iussu Leonis, mense nouembri a. 443 Romae habita detecta sunt[2].

De sacris (Manichaeorum)... quod inquisitionis nostrae Dominus manifestare uoluit non tacemus... Residentibus itaque mecum episcopis ac presbyteris ac in eiusdem consessum Christianis uiris ac nobilibus congregatis, Electos et Electas eorum iussimus praesentari. Qui cum de perversitate dogmatis sui et de festiuitatum suarum consuetudine multa reserassent illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, prodiderunt..., aderant enim omnes personae per

1. *Gesta Iohannis melitoniana* (P. G. 5, 1239-1242).

2. Sermo XVI (P. L 54, 178).— Cf. « Hoc tempore (Maximo II et Palerio a. 443) plurimos Manichaeos intra urbem latere diligentiae papae Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos et oculis totius ecclesiae publicatos omnes dogmatis sui turpitudines et damnare fecit et prodere incensis eorum codicibus, quorum magnae moles fuerant interceptae. Quae cura uiro sancto diuinitus, ut apparuit, inspirata non solum Romanae urbi, sed etiam uniuerso orbi plurimum profuit, siquidem confessionibus in urbe captorum qui doctores eorum, qui episcopi quive presbyteri in quibus prouinciis uel ciuitatibus degerent, patefactum sit. » (Prosperi *Chron.* M. S. *Chron. Minora*, I. 479.)

quas infandum facinus fuerat perpetratum, puella scilicet ut multum decennis et duae mulieres quae ipsam nutrierant et huic sceleri praepararant. Praesto erat etiam adolescentulus uitiator puellae et episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator. Horum omnium par fuit et una confessio... Illud quoque, vos dilectissimi, obsecrans moneo, ut si cui vestrum innotuerit ubi habitent, ubi doceant, quos frequentent, et in quorum societate requiescant, nostrae sollicitudin fideliter indicetis.

Idem sapit Valentiniani tertii constitutio quam post leonianam quaestionem redactam esse constat[1] :

Manichaeos loquimur... Quae enim et quam dictu audituque obscena in judicio beatissimi papae Leonis, coram senatu amplissimo, manifesta ipsorum confessione patefacta sunt? Adeo ut eorum quoque qui diceretur episcopus et voce propria proderet et omnia scelerum suorum scelera perscriberet... Quod notitiam nostram latere non potuit... : ubicumque terrarum quisquam Manichaeorum fuerit deprehensus, poenas quas in sacrilego iura sanxerunt, auctoritate publicae seueritatis excipiat..., dignitate militiae et urbium habitatione privandos...; successiones nec capiant nec relinquant : neque enim aliquid nimium in eos uidetur posse decerni, quorum incesta peruersitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota uel pudenda committit.

Quantum moribus et ideo bono communi Manichaeismus pugnaret, quod iam Vrsi quaestio indicarat, id igitur clare patefecit leoniana quaestio; eamdem ob causam quoque, neque tantum catholica fide pulsi et Romae et in prouinciis Leo romanique post eum ordinati episcopi in eos saeuierunt. Romana Manichaeorum ecclesia florebat inter omnes. Augustinus cum Romam uenit a. 383 eam uigere docet[2]; auctoritate tanta eadem pollebat ut nominatim Valentinianus uexandam denuntiaret a. 389[3] : cum ea iungebantur et Mattarii quorum antistes Constantius romanum monasterium quoddam — ubi situm non constat — instituerat et Tertullianistae qui cœmeterium Processi et Martiniani,

1. P. L. 54, 622.
2. « Et iungebar tunc Romae falsis illis atque fallentibus sanctis. » (Augustinus, *Confessiones*, V, 10. — P. L. 32, 714).
3. Cod. Theod. XVI, v, 18 (Haenel, 1535).

Octauiana et Hesperio Arbogastum suadentibus (392-394) occupauerant[1] et fortasse Nouatiani ei qui, ut testatur philocalianum feriale, Siluani reliquias rapuerant[2]. Quod si Theodosius uictor Catholicis potestatem restituit, minus ut uidetur credendum est Manichaeorum auctoritatem iam tum infractam esse : lex enim a. 425 edicta iubet Romam eorum praesentia purificari[3]; Carthagine capta a. 439, nonnulli sine dubio Gensericum fugientes Romam uenerunt. Cum igitur Romae potissimum ualerent, ex eo intelligitur quantum, iis inuentis, turbatus sit Leo et quam diligenter ut opinor in eos agere studuerit. Praeter eum autem quem iam attulimus, textus desunt qui romanam a Leone iussam persecutionem narrent.

In prouincias haeretici nonnulli — quales Pascentius — confugerant. Leo papa principis uere uice fungens episcopos hortatur ut eos quaerant et inueniant. Trigesimo ianuarii die a. 444 ad Italiae suburbicariae episcopos epistulam mittit in qua conuentus romani ita meminit[4].

In consortium nos nostrae sollicitudinis aduocamus ut uigilantia pastorali... commissis uobis gregibus diligenter consulatis... ne... is... morbus... per uestras se dispergat ecclesias... Plurimos impietatis Manichaeae sequaces et doctores in Vrbe inuestigatio nostra reperit, uigilantia diuulgauit, auctoritas et censura coercuit : quos potuimus emendare correximus; et ut damnarent Manichaeum cum praedicationibus et disciplinis suis publica in ecclesia professione et manus suae subscriptione compulimus; et ita de uoragine impietatis suae confessos pœnitentiam concedendo, leuauimus. Aliquanti uero qui ita se demerserant ut nullum his auxiliantis posset remedium subuenire, subditis legibus, secundum Christianorum principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exsilio relegati. Et omnia quae tam in Scripturis quam in occultis traditionibus suis habent profana uel turpia, ut nosset populus quid refugeret aut uitaret, oculis christianae plebis certa manifestatione probauimus : adeo ut ipse qui eorum dicebatur

1. Praedestinatus, 86 (P. L. 53, 616).
2. *Liber Pontificalis*, I, 11.
3. Cod. Theod XVI, V, 62 (Haenel, 1567).
4. Epistula XV (P. L. 54, 689).

episcopus, a nobis tentus, proderet flagitiosa in suis mysteriis quae teneret. »

Eosdem inquirere, Leone mortuo, Romae papae romani pergunt et fortasse in prouinciis episcopi quasi more tradito. Statim ut res compositae sunt tumultusque sedati, in quibus Philotheus Macedonianus Romam aduenit constructaque est S. Agathae Suburranae ecclesia ariana et Manichaei fractas et afflictas partes fortasse excitauerunt, papae haereticos acerrimo bello persequuntur. Si quid *Libro Pontificali* creditur, temporibus Gelasii (492-496) « inuenti sunt Manichaei Vrbe Roma quos exilio deportari praecepit »[1]; idem infra legitur[2] :

Post haec omnia beatus Symmachus inuenit Manichaeos in Vrbe Roma quorum omnia simulacra uel codices ante fores basilicae Constantinianae incendio concremauit et eos ipsos exsilio relegauit.

Idem denique in Hormisdae notitia[3] :

Inuenit Manichaeos quos etiam discussit cum examinatione plagarum exsilio deportauit.

Quae loca aliis nempe scriptis explicari queunt : ex gelasiana enim questione nouimus papam communionem sub utraque specie participari iussisse, cum Manichaei uino, tamquam impuro, abstinerent : quo et ipso tempore, Iulianus Pomoerius eos illudit et scribit :

Iam de uino abstinendo uel percipiendo quid dicam, unde S. Apostolus certam fixit regulam dicens : Nolite inebriari uino in quo est luxuria, quasi diceret luxuriam facit et nutrit uini perceptio nimia, non natura; et propterea non uti uino, sed inebriari prohibet[4].

1. *Liber Pontificalis* I, 255.
2. *Id.*, 261.
3. *Id.*, 270.
4. P. L. 59, 468.

De Hormisda parum liquet. De Symmacho autem suspicari licet, ex eo ortam esse quaestionem ab illo iussam, quod eumdem manichaeum esse Anastasius imperator argueret (apr. 503). Hoc quidem certius nouimus, anno 510, Ostrogothorum magistratus, quibus saepius familiariter usus est papa, haereticos occultos inquirere coepisse. Tumultu laurentiano — cuius num et quatenus participes fuerint minime liquet — octauum iam annum sedato, Boetius enim Manichaeos aliquid noui molientes denuntiat; a Theodorico iussus Vrbis praefectus Argolicus haereticos conquirit et inter eos amplissimos uiros, Basilium nempe senatorem et Praetextatum inuenit. Qua de re certior factus Theodoricus sex legatos eligit qui omnia obscuriora patefaciant : tum autem omnes fugere, Praetextatus prouincias petere, Basilius uero postquam deprehenditur puniri[1].

Altera igitur persecutionis aetate, dum in Manichaeos episcopis romanoque papa iubentibus saeuiebatur, communi simul ciuitatis bono et ecclesiae utilitati consulebatur. Ceterum animaduertendum est, ut in prouinciis latinis, ita et apud Graecos et apud Persas res sese habuisse : Hypatius comes Orientis Secundini filius, Iustini iussu, Manichaeos exsilio relegauit et Cabades episcopum eorum Indagarum

1. Argolico V. I. P. I. Theodoricus Rex (510-511). « Versari non licet in magicis artibus temporibus Christianis. Magnitudinis itaque tuae relatione comperimus Basilium atque Praetextatum, artis sinistrae iam diu contagione pollutos, in accusationem tui examinis personarum intentione deductos... Decernimus ut, quinque senatoribus, id est magnificis et patriciis uiris Symmacho Decio Volusiano atque Caeliano nec non illustri uiro Maximiano, hanc causam legitima examinatione pensetis. Et per omnia iuris dictione custodito, si crimen quod intenditur fuerit comprobatum, ipsarum quoque legum districtione plectatur, ut rei abditi atque secreti per hoc uindictae genus a culpis talibus arceantur quos ad leges trahere non potest incerta notitia. De qua re illustri uiro comiti Arigerno praecepta direximus ut omnium uiolenta defensione summota, si se occulunt, ad iudicium protrahat impetitos et vobiscum in hac causa residens nec opprimi faciat innoxios nec leges sinat euadere criminosos. » (Var. IV, 22. — M. G., p. 123-124.)

ArigernoV. I. Comiti Theodoricus Rex... « Praefectus igitur urbis sua nobis relatione declaravit Basilium atque Praetextatum magicis artibus inuolutos impeti accusatione multorum... Eos te praecipimus ubicumque repertos ad iudicium quinqueuirale ducere..., ut violenta omnium defensione summota hanc causam discuti facias legibus et finiri... » (M. G., p. 124. — Var. IV, 23.)

permultosque morte affici iussit : quae res cum coniectura quam proposuimus, ut uidetur, apte consentit. — Hoc quoque est observandum, ineunte saeculo quinto primum testimonia de Mithrae, Isis, Cybelae religionibus deficere, dum eodem fere tempore altera de Manichaeismo apparent : ex qua rerum concursione nonne colligi potest eosdem fere a Mithriacismo ad Manichaeismum transiisse? Leonis temporibus, die dominica, Sol inuictus colebatur[1], non Christus; in Nerei et Achillei gestis, Christus ueluti deus Sol depingitur[2] et anonymus auctor Basilidis gestorum eos insectatur qui affirmant « solem esse creatorem omnium rerum quia uidetur totum lustrasse orbem »[3]; aeque ac Mithrae cultores, Manichaei deum Solem quasi Christus esset colunt, et die dominica ieiunum seruant[4]. « Paganismus » autem, et « naturalismus » in eo insitus, ut in pagis ita in urbibus etiam tum uiget, saeculo quinto : uiri amplissimi, quales Seuerianus, Agapius, Asclepiades pagani Romae adhuc exstant et Lupercalia, Gelasio papa, celebrantur adhuc[5]. Quos christiana religio monebat ut domitas libidines haberent, ii fortasse cultus ex Asia transuectos secuti, ad Mithriacismum primum, deinde, uigente ecclesia romana et principibus christianis prouidentibus, ad Manichaeismum transgressi sunt, speciosum nempe ac uere mendacem christianismum.

1. Sermo XXII, 6 (P. L. 54, 198).
2. « Omni hora habes tecum iuuenem pulcherrimum Christum Dei omnipotentis filium, *diadematum decore auricomum, splendidum et fulgentem corusco caeli potius micantem lumine*. Nam *cum sol eius seruus* probetur et famulus, quanta potest esse pulchritudo domini, cum tanta pulchritudo sit serui. » (*Acta Sanctorum* 12 mai, 8, § 8.)
3. *Acta Sanctorum*, 12 juin 509, § 6. — De cultu Solis apud Christianos, cf. Maxim. Taurin. Hom. 101 (P. L. 57, 488) et Le Blant : *Les Commentaires des Livres saints et les artistes chrétiens des premiers siècles*, IV. (*Mémoires de l'Académie des Inscriptions*, XXXVI, 2, 14 sq.)
4. Tillemont, *H. E.* IV, 373.
5. Gelasii *Sermo aduersus Andromachum Senatorem* (P. L. 59, 110).

CAPUT SECUNDUM

QUOMODO CATHOLICI ADVERSUS MANICHAEOS PVGNAVERINT

1° LIBROS SINCEROS RVRSVS EDENDO

Manichaei morbi stirpem radicitus euellere Catholici Romani studuerunt qui, libris lectis magis quam presbyteris auditis, late diffundebatur : quod non mirabitur qui secum cogitabit quam atrociter haeretici legibus coercerentur. Vnde factum est ut libros Catholici proprie curarent parique studio alios legendos, alios prohibendos notarent. Testimonium enim notissimum — damasianum scilicet concilium — ad nos usque peruenit, cuius anonymus scriptor, postquam de Spiritu Sancto in praefatiuncula quadam tractauit, ita pergit : « *nunc uero de scripturis diuinis agendum est quid uniuersalis ecclesia catholica recipiat uel quid uetare debeat;* » et sequuntur catalogi cum receptorum (canonicorum scilicet, et synodorum, et Patrum), tum non legendorum librorum, seu qui, haeretici, omnino prohibentur, seu qui non absolute uetantur.

Antequam autem ea diligentius explicamus, de origine et natura scripti illius nunc est dicendum [1]. Cuius licet scriptura sincera nondum certo restituta sit, hoc tamen tuto asserendum est concilium Gothorum temporibus fuisse compositum. Cum enim concilium Constantinopolitanum (a. 383) inter synodos œcumenicas non annumeretur, ex eo conficitur anonymum ante synodum Constantinopoli (a. 553) habitam scripsisse in

1. Cf. Thiel, *De recipiendis et non recipiendis libris*, Braunsberg, 1867, in-8°. — Friedrich, *Ueber die Unächtheit der Decretale de recipiendis et non recipiendis libris des P. Gelasius I.* (*Sitzungsberichte... München. hist. phil. Klasse*, 1888, I. 54-86). — Textum leges apud Thiel, *Epistulae Romanorum Pontificum genuinae* (Braunsbergae, 1868), I, 454, et apud Migne, P. L. 59, 165-166.

qua id secundum concilium generale a romano pontifice est receptum. Ex altera autem parte, cum inter haereticos damnatos notetur Acacius, cum autem acacianum schisma a. 519 finem habuerit, credere est ante hunc annum, cum maxime Acacio inuideretur, eiusdem anonymum meminisse.

Eius autem mentione hoc certius factum est scriptum nostrum post annum 482 fuisse compositum, postquam ex Henotico acacianum schisma ortum est. — Ex eo quod de Sedulii Carmine paschali a 495 edito[1] dicitur, conficitur uerisimiliter concilium temporibus Gelasii aut Symmachi aut Hormisdae esse assignandum. — Ceterum inter auctores illos permultos in concilio allatos, unum frustra quaeres qui, illa aetate peracta, vixerit: liber enim qui, in concilio, «de inuentione capitis Iohannis Baptistae» inscribitur, idem sine dubio non est atque uersio adhuc seruata quae Marcellini Comitis Chronico utitur.

Quae autem cognatio inter damasianum concilium et epistulam illam interest, quam Hormisdas papa Possessori africano episcopo interroganti de auctoritate Fausti Regiensis rescripsit (520)? Possessor qui Constantinopoli tunc morabatur Hormisdae retulerat «fratrum (animos) de codice Fausti cuiusdam, natione Galli, Reginae ciuitatis episcopi, qui de diuersis rebus et frequentius de gratia dei diserte uisus est disputare, in scandalum (moueri)», et ita pergebat :

Quaeso ut (me) consulentes quid de praelati auctoris dictis uideatur auctoritate apostolicae responsionis agnoscant.

Hormisdas respondet : « neque illum recipi, » eiusque scripta auctoritatem canonicam nullam habere quippe quae Patres in synodo nunquam receperint, ideoque ea « ecclesiasticae disciplinae ambiguitatem (non) posse gignere aut religiosis praeiudicium comparare. Fixa sunt a Patribus quae fideles sectari debeant instituta : siue interpretatio siue praedicatio..., si cum fide recta et doctrina sua

1. P. L. 59, 181-182.

concordat, admittitur, si discordat, aboletur... (Sed) non vitio dari potest nosse quod fugias; atque ideo non legentes incongrua in culpam ueniunt, sed sequentes... Non improuide ueneranda Patrum sapientia fideli posteritati quae essent catholica dogmata definiit, *certa librorum etiam ueterum in auctoritatem recipiendo, sancto Spiritu instruente, praefigens:* ne opinioni suae lector indulgens, non quod aedificationi ecclesiasticae conueniret sed quod uoluptas sua concepisset, assereret. Quid ergo calumniantibus opus erat extra constitutos Ecclesiae terminos porrigere quaestiones et de his quae habentur dicta quasi dicta non sint mouere certamina, cum christiana fides canonicis libris et synodalibus praeceptis et Patrum regularibus constitutis stabili et inconcusso termino limitetur[1].

Sententiam protulit Friedrich[2] damasianum concilium post epistulam Hormisdae scriptam esse compositum epistulamque concilii componendi dedisse ansas. Hoc enim nemo in dubio ponet, cum papam concilium nullo loco memorasse, tum scriptorem concilii anonymum uerba pontificalia de trino fidei « stabili et inconcusso termino », « canonicis libris (scilicet) et synodalibus praeceptis et Patrum regularibus constitutis » secutum, ea fuse explicasse. Animaduertendum est etiam anonymum ex Hormisda ut uidetur manifeste pendere, gesta martyrum, scriptaque alia similia, in ecclesia non recepta, a priuatis tamen legi posse asserentem cum iam in epistula papa dixisset :

(Non) improbatur diligentia per multa discurrens, sed animus a ueritate declinans... Nec uitio dari potest nosse quod fugias, atque ideo non legentes incongrua in culpam ueniunt, sed sequentes. Quod si ita non esset, nunquam doctor ille gentium acquieuisset nuntiare fidelibus : Omnia probate, quod bonum est tenete.

Friedrichianae rationi, etsi acute et subtilius excogitatae, vix assentiri me fateor. Quod scriptum et quale, nisi damasianum concilium « de explanatione fidei et scripturis

1. P. L. 63, 489-493. — Thiel, 916-926.
2. *Loc. cit.*

apocryphis » (Codex Monacensis 14 469, f. 145v) habitum, significat Hormisdas, cum « Patrum sapientia[m]... catholica dogmata (definiisse), certa librorum etiam ueterum in auctoritatem recipienda... praefigen[tem] » commemorat? Cum de libris *etiam ueteribus* loquatur, nonne ex eo efficitur ut libros *recentes quoque* cogitet, — haud secus ac *canonicos libros* antiquos et *Patrum constituta* recentia infra affert, — ideoque catalogos canonicorum librorum hic non significet? — Immo Faustus Regiensis in codice Lucensi, qui perantiquum uidetur prologum praebere, inter scriptores haereticos non annumeratur[1] : num Fausti oblitus esset anonymus, qui Hormisdae litteras legisset? — Quid, quod concilium damasianum pontificalibus uerbis multa quidem, hos praesertim librorum legendorum aut non legendorum catalogos et ecclesiarum principum indicem, addit, quae damasiani scripti uere propria sunt; nonne *proprium* anonymus consilium secutus est? — In hoc denique maxime attendendum est, neque Hormisdam, neque ullum, qui quidem prudens esset, episcopum romanum, apocrypha scripta commemorare et iisdem uti posse. Gregorius papa primus concilio damasiano usus est neque tamen idem appellauit : quis enim dubitabit quin ex loco isto concilii, quo Romana, Alexandrina et Antiochena ecclesiae ordinantur, pendeat, dum Eulogio episcopo alexandrino scribit[2] eique sedium trium principum ordinem profert?

Libenter igitur crediderim haud secus ac Gregorium Hormisdam sese gessisse, qui, homo prudens et cautus, qualis in controuersia monachorum Scytharum apparet, cum liber quem legit unde sit ortus, non perspiciat,

1. P. L. 59, 179. Mox autem ab aliquo qui Hormisdae litteras legerat, additus est. Donec uersio primigenia huius loci tuto non erit restituta, nil certi asseri poterit.

2. Ep. VII, 40. (P. L. 77, 899.) « Itaque cum multi sint apostoli, pro ipso tamen principatu, sola apostolorum principis sedes in auctoritate conualuit, quae in tribus locis unius est. Ipse enim sublimauit sedem in qua etiam quiescere et praesentem uitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem, in qua euangelistam discipulum misit. Ipse firmauit sedem in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit. »

fraudem aliquam suspicatur quam apostolica auctoritate tueri non vult. Quem fallit Possessorem ad eum confugisse, tamquam « ad capitis... medicamentum », cum « de sanitate membrorum » ageretur et ita eum esse allocutum :

Qui... maiorem circa subiectos sollicitudinem gerit aut a quo magis est nutantis fidei stabilitas exspectanda, quam ab eius sedis praeside cuius primus a Christo rector audiuit : Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam?

In volumine autem quem Hormisdas ante oculos habebat, praefatiunculam satis insolitam legebat et Damaso episcopo, anno 384 mortuo, ascribebatur liber in quo chalcedoniae synodi fiebat mentio : quomodo fraudem non esset suspicatus, quomodo cautius non sese gessisset? Concilium non commemoraret, etiam si nouisset, erat necesse.

Libri enim nostri editio primigenia Damasi nomen prae se ferebat nomenque illud, ut uidetur, Hormisdas legebat. Vetustissimus codex quo Baluzius usus est, saeculo octauo exaratus, qui post puram et sinceram quamdam Dionysianae Collectionis editionem erat compositus in Anastasium papam secundum desinentem, ea refert : *Incipit concilium urbis Romae sub Damaso papa de explanatione fidei*[1]. Cum eo consentiunt Codex Vaticanus Holstenii[2], Codex Frinsingensis S. Emmerani[3], Codex Veronensis 61 [4]. Quod quidem si alii mirantur et Gelasii nomen libro inscriptum esse malunt, — quomodo de Damaso error ille irrepserit Dionysiusque Exiguus gelasiani concilii non meminerit, minime curantes, — nos saltem nihil est cur eorum uiam ingrediamur : liber hic eiusdem generis est atque alii quos iam recensuimus, eademque aetate, iisdem temporum inclina-

1. Thiel, 46. — P. L. 59, 163-164.
2. Thiel, 46.
3. Mansi, VIII, 154.
4. Thiel, 47.

tionibus atque illi compositus est. Romanam originem sapit, romanas disceptationes significat :

Sancta... romana ecclesia... euangelica uoce Domini et Saluatoris nostri principatum obtinuit : Tu es Petrus, inquiens, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam... et tibi dabo claues regni caelorum... Cui data est etiam societas beatissimi Pauli apostoli, uas electionis, qui non diuerso, *sicut haeretici garriunt*, sed uno eodemque die gloriosam mortem cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est.

Haec uerba « *sicut haeretici garriunt* » tot illas uersiones a Manichaeis et a Catholicis rursus editas in mentem uocant[1]. Immo inter librum illum alterumque, Apostolorum scilicet Breuiarium, — cuius originem et aetatem infra dicemus, — affinitas quaedam uidetur interesse. Quo in altero Petrum Paulumque uno eodemque die mortuos esse legis; in eodem, apostolorum nomina explicantur : « Simon interpretatur obediens, Petrus agnoscens, » etc. Damasiani autem concilii de septem Spiritus Sancti donis in praefatiuncula anonymus cum Spiritu septiformi[2] Christum multiformem comparat, Christique multa nomina sic interpretatur :

Dominus quia spiritus, uerbum quia deus, pastor quia custos, uermis quia surrexit, mors quia fortis, uia quia rectus, agnus quia

1. Cf. A. Dufourcq, *Etude sur les « Gesta martyrum » romains*, p. 323 sq.
2. Verbum *septiformis* occurrit apud Gelasium (*De Duabus naturis*, X; Thiel, 541) et apud Gregorium Magnum (Homil. *in Ezechiel.* II, h. 7. § 7. — P. L. 76 : 1016) : « Septem gradus ad portam ascenditur quia per sancti Spiritus *septiformem* gratiam aditus nobis uitae caelestis aperitur... » et in Sacramentario Gelasiano (I, 44) (Wilson, p. 86-87): « Deinde ab Episcopo datur eis Spiritus *Septiformis.* » — *Triformiter* autem occurrit in monarchiano Matthaei prologo, *Triformis* in Philastrio legitur (*Haeres.* 93. — P. L. 12, 1205), *Multiformis* in Priscilliano (*Tract. Paschae.* — Schepps, p. 58; cf. p. 103, 106) et in Leone (cf. supra). Ambrosius iam dixit: « Et septem lampades ardentes ante thronum. — Quid sint septem lampades, ipse exponit, cum dicit: Quae sunt *septem spiritus dei.* Per septem spiritus Dei septem dona Spiritus Sancti debemus intelligere quae in dominum requieuisse propheta Esaias (XI, 2) manifestat dicens: « Requiescit super eum spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudines, spiritus scientiae et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini... (*In Apocalyps. Expositio* : De Visione secunda, v. 5. — P. L. 17, 796.) — De origine et significatione huius praefatiunculae minus liquet: duas res tantum notemus. Illis fere temporibus, de Spiritu Sancto disputatum est Romae, testibus Hilario papa adversus Philotheum Macedonianum pugnante et Monachis Scythis.

passus, lapis quia structio angularis, magister quia ostensor uitae, sol quia inluminator mundi, uerum quia pater, uia quia sector..., samaritanus quia mediator..., petra quia firmamentum, flos quia electus...

Inter utrumque interpretandi genus hoc interest quod utrumque doctissimum auctorem ostendere uidetur; in utroque uidetur anonymus, ad suam apud lectorem auctoritatem eiusdemque fidem augendam, ut illa ex Hieronymo hausisse, ita haec excogitasse; unde fit ut cum ex altera parte textus ambo eadem gothica aetate sint scripti, utriusque scriptor, ut idem non sit, ex iisdem saltem coetibus sit ortus.

His igitur in damasianis canonibus haud immerito quaerere studebimus quos libros prohibendos, quos legendos, ut Manichaeismus euerteretur, Romani Catholici putarent. In altera parte concilii legitur notitia librorum apocryphorum qui non recipiuntur : quae cum scriptis satis probatis, tanquam Hermae Pastore, et aliis haereticorum qualis est Tertullianus, permulta sane continet Manichaeismum aperte sapientia, « actus Andreae scilicet, actus Thomae, actus Petri, Euangelium Thomae, libros

— Inter praefatiunculam nostram et Breuiarium fidei (apud Migne, P. L. 13, 653 « Errare haereticos haec maxima causa facit dum aut ignorant...) aliqua consuetudo interest cum in utroque permultae *nominum formae* enumerentur (P. L. 13, 666 Magnus..., Charitas..., dat Vitam Æternam..., pacem dat..., illuminat..., euangelizat..., virtus..., fons..., charitas...) et quaeque *forma* aliquo loco ex Scripturis Sacris excerpto illustratur. Cf. « Spiritus sapientiae Christus dei virtus et dei *sapientia;* spiritus intellectus : *intellectum* dabo tibi... » Breuiarium autem fidei temporibus Gothorum, ut uidetur, est scriptum : quod nouerat anonymus noster.

Huic fortasse aetati tribuenda sunt carmina quae Orientio sunt ascripta, *De Epithetis Saluatoris Nostri* et *Explanatio nominum Domini* (P. L. 61, 1000, 1003). Praefatiunculam nostram in mentem reuocant :

Ianua quod residet caelo secretaque pandat
  Virgo incorruptae matris cui partus origo est...
Et leo rex hic est regum, rex ille ferarum
  Dicitur et virtus...
Unde autem dictus est Sapientia ? regula vitae est.
Quo modo sit Verbum? Patrio quia fluxit ab ore...
Unde bonus Pastor? Maculam quod ouibus obstat...
Flos quia confessores (?) martyres ipse coronat...

In Orationibus (v. 2) occurrit verbum *quadriformis.* — Cf. quoque aliquot versus ex *Epithetis Saluatoris Nostri* excerptos.

omnes quos fecit Leucius filius diaboli..., Euangelium quod falsauit Lucianus, librum qui appellatur *Fundamentum*, librum qui appellatur *Thesaurus*..., librum qui appellatur *Poenitentia Iamnae et Membrae,* librum qui appellatur *Sors Apostolorum*, » cetera eiusmodi. Catholici autem, eo non contenti, quotiens poterant, libros illos igne concremabant, Leonis exemplo semper freti. Hic enim Turibio scribebat[1] :

Apocryphae... scripturae... non solum interdicendae, sed etiam penitus auferendae sunt atque ignibus concremandae.

Pari modo, si quid *Libro Pontificali* credendum, Gelasius papa « (eorum) codices ante fores basilicae sanctae Mariae incendio concremauit »[2]; Symmachus haud aliter atque Gelasius sese gessit :

Invenit Manichaeos... quorum... codices ante fores basilicae Constantinianae incendio concremauit[3].

Hormisdas denique « (Manichaeorum) codices ante fores basilicae Constantinianae incendio concremauit »[4].

Catholici autem prudentioris et acutioris ingenii erant quam ut libris manichaeis combustis et prohibitis contenti essent : dum fidelibus haereticos libros ita subducebant uel subripiebant, canonicos rursus edebant : a Leone papa usque ad Hormisdam, Gothorum fere temporibus, credere est catholicos opus ingens esse aggressos librosque suos emendandos et reuisendos suscepisse. Cum enim haeretici, quoniam libri ab amanuensibus rescripti in publicum prodirent, eos ut libet retractare possent eosque reuera retractarent, hoc attendens, Leo scripserat :

Apostolicas paginas quaedam auferendo, quaedam inserendo, uiolauerant Manichaei[5].

1. P. L. 54, 687.
2. *Liber Pontificalis* I, 255.
3. *Id.*, 261.
4. *Id.*, 270.
5. Sermo IV in Epiphania (P. L. 54, 248).

Marciano imperatori scripserat quoque[1] :

Quia uero quorumdam haereticorum uersuta nequitia ad conturbandam nostrorum simplicitatem, epistolam meam, quam ad beatae memoriae Flauianum dedi, falsasse perhibentur, ut, commutatis quibusdam uerbis uel syllabis, receptorem me Nestoriani erroris assereret, si quid in dictis sanctorum Patrum inuenitur quod non conuenit sanctis epistolis aut definitioni synodi Chalcedonensis, apparet illud ab haereticis fraudatum esse.

Turibio denique dicebat :

Istud ueracium testium relatione comperimus et multos corruptissimos eorum codices qui canonici titularentur invenimus. Quomodo enim decipere simplices possent nisi uenenata pocula quodam melle praelinirent? Curandum est ergo... ut falsati codices et a sincera ueritate discordes in nullo usu lectionis habeantur... Si quis episcoporum uel apocrypha haberi per domus non prohibuerit, ue sub canonicarum nomine eos codices in ecclesia permiserit legi, haereticum se nouerit judicandum ; quoniam qui alios ab errore non reuocat se ipsum errare demonstrat[2].

Eadem fere, temporibus Gelasii, Catholici sentiebant. Trifolius Fausto scribit[3] :

Semper haeretici male interpretando dicta patrum haereses suas confirmare conantur, sicut dicit S. Cyrillus episcopus Alexandrinus ad Ioannem Antiochenum...; epistolam opinatissimi patris nostri Athanasii ad beatum Epictetum destinatam, recte habentem, corrumpentes quidam ediderunt, ut per hoc plurimi nocerentur[4].

Medio igitur saeculo quinto eodemque exeunte librorum suorum et maxime canonicorum integritatem catholicos curasse his quae attulimus testimoniis comprobatum

1. Ep. 75, apud Trifolium (P. L. 63, 536).
2. P. L. 54, 687.
3. P. L. 63, 536.
4. Andreas quidam « falsauit » quoque litteras Gregorii papae primi (P. L. 77, 1212-1213. Epistola Gregorii ad Eusebium Thessalonicensem episcopum).

est. Nonne, iisdem temporibus, librorum « uersiones » sinceras a Catholicis editas esse suspicari licet, quas catholicam fidem fouentes fideles tuto legere possent?

Declarat, ut mea fert sententia, concilium damasianum quod non tantum scripta prohibita, uerum etiam *scripta legenda* designat, quorum duplex est series. In priore « tractatus omnium patrum orthodoxorum qui in nullo a sanctae Ecclesiae romanae consortio deuiarunt nec ab eius fide uel praedicatione seiuncti sunt » singillatim plerique recensentur, Cypriani et Gregorii et Basilii, Iohannis Constantinopolitani, Theophili Alexandrini, Hilari Pictauensis, Ambrosii Mediolanensis, Augustini, Hieronymi, Prosperi, Leonis. Inter eos qui, ea aetate, codicibus nouis mandati, rursus sint editi, nescimus : speremus autem fore ut docti in codicibus illorum librorum ordine distributis indicium deprehendant quod Gothorum tempus et manichaeum periculum declaret[1].

Immo libenter crediderim, eadem Gothorum aetate, instante manichaeo morbo, librorum canonicorum, nisi certo Veteris, Noui certe Testamenti editionem nouam quoque esse editam, cuius codices huc usque seruati textum *Vulgatam* nuncupatum nonnunquam praeberent. Hoc enim nunc constat inter omnes Noui Testamenti latina uerba post beatum Hieronymum mortuum aliquando esse rescripta : nam loca ex sacris Scripturis excerpta quae Hieronymus libris suis inseruit non eadem sunt quae in Vulgata

1. Ignatii epistula ad Trallos Simonem *diaboli filium* appellat (Grabe : *Spic. Patrum.* I, 305) : id cognomen Leucii in damasiano textu mentionem in mentem reuocat et cum Gothorum aetate congruit. — Hermiani Pastoris (quem tum Romae legi concilium testatur) recensiones latinas duas nouimus, cuius prior, Vulgata dicta, ab Hilgenfeldio nuper est edita; altera Palatina denominata, a Dresselio. In Mandatis et Similitudinibus Vulgata palatinam recensionem exscribit eamque secundum graecum exemplar emendat; in Visionibus contra, Vulgata ex Palatina non pendet. Ex altera parte, graecum Vulgata fidelius quam Palatina perscribit, in qua pro αἱ ἐπιθυμίαι αἱ πονηραὶ legitur *concupiscentiae iniquitatis* et, eodem modo, *cogitatio prudentiae, opus bonitatis* et ἄγγελος : in Vulgata contra, *angelus* reperitur. (*Bericht über die lateinischen Bibelübersetzungen*, von Dr. P. Corssen. — *Iahresbericht... Bursian*, 1899, 1es Heft, Band CI, p. 79.)

legimus[1]. Deinde Senator testatur Hieronymum petrinas epistulas, inter eas quae « catholicae » dictae sunt, primas ordinasse : qui ordo, si qua fides Paulo Corssen habenda est, in codice Vulgatae nullo, asseruatur[2]. Hieronymus denique epistulam ad Hebraeos, utpote quae a sancto Paulo non sit scripta, inter canonicas non recipit, cum codices prooemium pseudo-hieronymianum referant, cuius auctor ita sentit :

Si propterea Pauli non erit, quia eius non habet nomen, ergo nec alicuius erit quia nullius nomine titulatur. Quod si inconueniens absurdumque est, ipsius magis esse credenda est, quae tanto doctrinae suae fulget eloquio[3].

Quantum autem Catholicorum interesset incorruptam Sacrarum Scripturarum editionem in promptu habere, ex iis quae supra exposui et explicaui facile colligitur — si modo eos aduersus Manichaeos pugnasse eorumque codices adulterinos timuisse mecum credis. Ceterum in hoc quoque attendere digneris, epistularum pauliniarum, si quid auctoritati Cassiodori tribuitur[4], exstitisse uersionem, cuius in adnotationibus « Pelegiani erroris venena... (essent) seminata » : Pelagiani igitur suam Scripturarum editionem curauerant. Manichaeos autem ipsos eamdem uiam esse secutos Leo papa primus aperte declarat cum Turibio scribit :

Multos CORRVPTISSIMOS EORVM CODICES QUI CANONICI titularentur inuenimus... Unde si quis episcoporum... SUB CANONICORVM NOMINE

1. « Ich habe Ep. ad Gal. p. 35, die Vermutung ausgesprochen, dass das N. T. nach Hieronymus eine Rezension erfahren habe. Ich hatte dafür auch das Argument angeführt, dass der Bibeltext in den Kommentaren des Hieronymus von der Vulgata vielfach abweiche. Dies Argument ist, was ich damals nicht wusste, keineswegs neu... Der mehrfach erhobene Einwand, *es sei überhaupt nicht denkbar, dass nach Hier. von irgend jemand eine Revision des Textes unternommen sei, beruht auf einer Verkennung der Thatsachen.* » (Dr. P. Corssen, *Bericht über die lateinischen Bibelübersetzungen*, in *Iahresbericht... Bursian*, 1899, 1es Heft., Band CI, p. 57-58). — Loca ex Ueteri Testamento excerpta (Psalterio et Iob sepositis) quae in Hieronymi homiliis, a D. Germano Morin nuper restitutis, citata sunt, ea a uerbis Uulgatae multum distant (cf. Samuel Berger, *Bulletin Critique,* 25 septembre 1897, p. 513). Uetusne Testamentum quoque, manichaea aetate, reuisum fuisset ?

2. Corssen, *loc. cit.*, et *Iahrb. f. prot. Theol.*, 1883, 622... Cf. infra.

3. Cod. Paris. 250, f° 68r.

4. *De Instit. Diuin. litt.*, 12 (P. L. 70, 1123).

EOS CODICES in Ecclesia permiserit legi QUI PRISCILLIANI ADVLTERINA SUNT EMENDATIONE VITIATI, haereticum se nouerit iudicandum... (P. L. 54, 687, 688.)

Quae cum ita sint, cum manichaeam quoque utriusque Testamenti editionem re uera exstitisse compertum habeamus, nihil est causae cur miremur quod Catholici, versionem suam sinceram edere et ipsi studuerint. Iam peritissimus auctor[1], dum hispanicos codices inspicit, in aliquam Testamentorum uersionem catholicam incidere sibi uisus est, quam Peregrinus quidam — fortasse Bachiarius — *ad Priscillianistarum seu Manichaeorum editiones refellendas* edidisset in lucem; nonne credendum est in Italia Catholicos eodem timore perculsos, eo exemplo usos esse et uerba ea scripsisse quae a uere hieronymianis distant? Cur Itali Romanique Catholici quos de Manichaeis sollicitos esse comperimus, non idem atque Catholici Hispani fecissent?

Coniectura nostra, ut uidetur, rebus tribus confirmatur. Primum enim in prologo[2] qui epistulis Paulinianis praefigitur, nonnulla animadverteris quae cum pugna adversus Manichaeos aptissime congruunt: nam prologus ille est in quo Epistula ad Hebraeos S. Paulo adscribitur:

Quoniam apud Hebraeorum ecclesias quasi destructor legis falsa suspitione habebatur, uoluit tacito nomine de figuris legis et ueritate Christi reddere rationem ne odium nominis, fronte praelati, utilitatem excluderet lectionis.

1. Samuel Berger, *La Vulgate pendant les premiers siècles du Moyen-Age*, p. 27-28 : Noter que « le nom de l'évêque d'Avila... figure en une place d'honneur dans toutes ces Bibles...; dans tous les manuscrits du groupe le plus important, nous avons rencontré les canons des épîtres de saint Paul qui portent le nom de Priscillien ».

2. Vide infra ad calcem, p. 110. De Codice Parisino 250, cf. Samuel Berger, *Histoire de la Vulgate*, p. 243, et H. A. Scrivener, *A plain Introduction to the criticism of the N. T.*, p. 74. — Alterum Paulinianum prologum apud Tommasium Cardinalem, ex codice Orat. B. 7, excerptum reperies (ed. Vezzosi, I, 382) qui aetatem gothicam quoque sapit : in eo, sicuti in damasiano concilio, « eodem die quo et Petrus » Paulus occisus esse dicitur; eius sepultura in uia Ostiensi memoratur; Neronem beati Pauli necnon fuisse amicum anonymus fingit, utpote « a Nerone dimissi ut Euangelium Christi in Occidentis quoque partibus praedicaret ».

Immo « praefator » anonymus diligentissime ostendit, quanta ueneratione Testamentum Vetus colat, — quod Manichaei insectabantur, — siquidem cum prophetis antiquis, qui Moysis legem sunt interpretati, comparat Paulum, qui Euangelium similiter interpretatus est :

Deinde quaeritur cur non amplius quam decem epistolas ad ecclesias scripserit. Decem enim sunt cum illa quae dicitur ad hebraeos (nam reliquae quattuor ad discipulos specialiter sunt porrectae) *ut ostenderet* NOVVM NON DISCREPARE A VETERI TESTAMENTO *et se contra legem non facere Moysi :* ad numerum primorum decalogi mandatorum suas epistolas ordinauit et quot ille praeceptis a Pharaone instituit liberatos, totidem hic epistolas a diaboli et idolatriae seruitute aedocet adquisitos. Nam et duas tabulas lapideas duorum Testamentorum figuram habuisse uiri eruditissimi tradiderunt.

Quis dubitabit quin locus ille Manichaeos petat, qui Testamentum Uetus, quasi Nouo discreparet, reiciebant[1]? — Hoc denique in prologo nostro maxime notandum est, in Pelagianos quoque, qui ut iam est dictum teste Cassiodoro versionem suam ediderant, praefatorem esse inuectum his uerbis :

... Tam rudes erant ut non intelligerent *Dei se gratia et non suis meritis esse saluatos.*

Quid, quod monarchianos — uel fortasse manichaeos — prologos sequitur[2] dum ordinis epistularum, quem exhibet, ita rationem reddit :

... Ita omnes epistolas ordinatas ut prima poneretur quamuis posterior fuerit destinata, ut *per singulas epistolas gradibus ad perfectionem ueniretur.*

1. Cf. praesertim F. Ferrère : *La situation religieuse de l'Afrique romaine...* p. 277 (Paris, Alcan, 1899).
2. Cf. P. Corssen : *Monarchianische Prologe* (Texte und Untersuch, XV, 1). Quartum euangelium, si quid anonymo creditur, hanc ob causam ultimum est : *in Domino quae nouissima sunt, non uelut... abiecta numero, sed plenitudinis opere perfecta* sunt, et hoc uirgini debebatur. »

Prologus autem ille — quamquam a Hieronymo dissidet — Hieronymo tribuitur, cum in Codice Parisino latino 250 f° 67v (IX s.) ita desinat :

EXPLICIT PRAEFATIO SANCTI HIERONIMI.

Nonne verisimiliter ex his conficitur hic de pseudo-Hieronymo quodam agi et Catholicos Hieronymi usurpasse nomen, cum editionibus Manichaeorum, qui clarioribus nominibus uterentur, canonicum sincerum textum opponere studerent? Cuius auctoritatem, tantum quantum Hieronymi his in rebus ualere, ducere poterant? Cuius patrocinio aptius freti essent?

Quod ipsum de prologo altero[1] catholicis epistulis praefixo nobis est dicendum : prologi enim istius auctor, haud secus ac ferialis ecclesiae aut Euangelii infantiae catholici redactor Hieronymi partes suscipit, quippe qui, ut Hieronymus Euangelii uerba genuina restituit, ita septem epistularum primigenium ordinem se restituisse contendat :

Sicut Euangelistas dudum ad ueritatis lineam correximus, ita has proprio ordini Deo nos iuuante reddidimus.

Deinde septem epistulae, quas Hieronymus semper *catholicas* dicit, hic *canonicae* nuncupantur : quod in damasiano concilio primum legitur.

Quid, quod anonymus Graecorum « qui integre sapiunt et fidem rectam sectantur » ordinem restitutum uult :

Quis (uero) magis apud Graecos fidem rectam sectatus est quam Athanasius, Gregorius Theologus et Joannes Damascenus? Penes eos tamen idem est ordo epistolarum septem qui in latinis codicibus inuenitur...; (ceterum) nihil facit sanae doctrinae neque rectae fidei si primo loco uel ultimo ponatur epistola Iacobi[2].

1. P. L. 29, 821. — Ed. benedict, b. Hieronymi, I, 1667-1670. « Non idem est ordo apud Graecos... »
2. Martianay, in ed. benedict. I, 1671-1672.

Romanae autem superbiae interest multum Petri epistulas primum locum tenere : ut in gestis Petri Paulique catholicis Petrus primas gerit partes Paulusque ei semper assentit, ita hoc in prologo anonymus romanus Petri principatum confirmare studet :

Petrus primus est in numero apostolorum, primae sint etiam eius epistolae in ordine ceterarum.

Denique anonymus « fide[m] catholica[m] robora[re] et Patris et Filii et Spiritus Sancti una[m] diuinitatis substantia[m] comprobar[e] » conatur ideoque in prima Iohannis epistula (V, 7) « Patris Verbique ac Spiritus testimonium » illud allatum in prologo refert :

Et hi tres (Pater, Verbum, Spiritus Sanctus) unum sunt.

Hoc autem compertum habebit si quis Romanorum martyrum gesta nouerit, Latinos ac praecipue Romanos, Gothorum et maxime Hormisdae papae temporibus, de Trinitatis *unitate* saepius et libenter disputasse[1]. — Quae cum ita sint, aetate illa prologum esse compositum suspicor.

Maxime autem fauet coniecturae, quod Senator postquam in libro *de Institutione diuinarum litterarum* Scripturas Sacras utriusque Testamenti omnes, ab *Octateucho* usque ad *Apocalypsin* Ioannis exsecutus est inquirit « quemadmodum lex diuina tribus generibus diuisionum a diuersis patribus fuerit intimata quam tamen ueneratur et concorditer suscipit uniuersarum Ecclesia regionum »; quibus dictis, editiones tres secundum Hieronymum et Augustinum

1. Cf. nostr. *Étude sur les Gestes des Martyrs romains*. 3e partie, p. 313-318. — Haec sunt anonymi uerba : « ...Illo praecipue loco ubi de unitate Trinitatis in prima Iohannis epistola positum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse fidei ueritate comperimus, *trium tantum uocabula, hoc est aquae sanguinis et spiritus in sua editione ponentes et Patris Verbique ac Spiritus testimonium omittentes,* in quo maxime et fides catholica roboratur et Patris et Filii et Spiritus Sancti una diuinitatis substantia comprobatur. » (P. L. 29, 822 sq.).

et antiquam translationem quamdam recenset, et ordinem librorum refert.

Codices euoluebat ut notitias, quas collegit, ex iis hauriret, non contentus prologum *galeatum* et librum *de Doctrina christiana* tantum legere. Prologus enim galeatus in *Veteris solius* Testamenti libris uersatur, Cassiodorus autem *utriusque* Testamenti ordinem certum hieronymianum refert. — In Esdrae II°, Machabaeorum Zachariae Aggaei libris, augustino-cassiodorianus ordo non idem est qui in *Doctrina christiana* legitur. — Cassiodorus denique, numerum quoque quaternionum tradit (95) quibus tertiae editionis libri continebantur.

Tertia autem editio *Scriptur*[*ae*] *Sanct*[*ae*] *secundum antiquam translationem* ea est, ut Senator ipse testari videtur, quae a Catholicis manichaea aetate correcta beato Hieronymo adscripta est[1]. Postquam enim *Hieronymi primam*, Augustini secundam et translationis antiquae tertiam diuisionem memorauit, his uerbis pergit :

Tertia diuisio est inter alias in codice grandiore, littera clariore conscripto, qui habet quaterniones nonaginta quinque : in quo Septuaginta interpretum translatio Veteris Testamenti in libris quadraginta quattuor continetur. Cui subiuncti sunt Noui Testamenti libri uiginti sex fiuntque simul libri septuaginta : in illo palmarum numero fortasse praesagati, quas in mansione Elim inuenit populus Hebraeorum (Ex. XV, 27). *Hic textus, multorum translatione uariatus*[2] *(sicut in Prologo Psalterii positum est) Patris Hieronymi diligenti cura emendatus compositusque, relictus est.* Ubi nos omnia tria genera diuisionum iudicauimus affigenda, ut inspecta diligenter atque tractata non impugnare, sed inuicem se potius exponere uideantur.

Prae oculis igitur editiones duas Senator habebat quae ambae Hieronymi patrocinio utebantur, quarum prior in

1. *De Instit. diuin litt.*, I, 12, 13, 14. — (P. L. 70, 1123.)

2. Cf. prologum catholicis epistulis praefictum. « In qua etiam ab Infidelibus translatoribus multum erratum esse fidei ueritate comperimus... » : hic igitur quoque Catholici sinceram uersionem suam uindicabant.

libros 59 erat diuisa, quarum altera 70 libros et 95 quaterniones continebat: quae secunda, aetate Gothorum composita, prologos hieronymianos referebat, quales nunc in codicibus ante Paulinianas et Petrinas epistulas legimus, qualis fortasse *Psalterio*[1] praemissus, a Cassiodoro legebatur: haec pseudo-hieronymiana dicenda est, haud secus ac feriale catholicum aut Euangelii Infantiae uersio catholica[2]; ex ea sine dubio pendent codices[3] Vulgatae, uere et pseudo-hieronymianae. *Nihil est igitur cur miremur codices illos cum Hieronymo non semper congruere: dum Catholici « Manichaeorum falsationes » reicere aut eorum « sensibus malignis » occurrere curabant, hieronymianam orationem nonnunquam mutabant aut neglegebant.*

Consuetudo aliqua inter pseudo-damasianum concilium et pseudo-hieronymianam Vulgatam, ut uidetur, interest, quasi amicitiae, qua Damasus cum Hieronymo erat coniunctus, scripta illa quamdam referant imaginem: utrumque, ut iam dictum est, uerbo *canonicis* epistulis utitur. Damasianus index librorum canonicorum ad pseudo-hieronymianum cassiodorianum indicem propius accedit quam duorum reliquorum neuter, quos apud Senatorem legis: haec sola sunt damasiani propria:

1. *Prologus Psalterii* a Senatore prolatus idem est fortasse qui iam praelo est mandatus (P. L. 28, 1183. « aiebas enim te magis interpretum uarietate turbari... 1185). Res tamen obscurior exstat, cum editionem uere hieronymianam iam Senator recensuerit primam et cum pseudo-Hieronymiani anonymi translatores utpote infideles insectentur. — Cf. supra, pag. 77, not. 2.

2. Cum aetate gothica maxime congruit: 1° mentio *Psalterii librum unum*: ex quo Hormisdas in ecclesiis romanos psalmos cani iusserat et scholam quamdam ad pueros instituendos condiderat, psalmis maxime Romani fauebant: ut testatur Cassiodorus, cuius complexiones in Psalmos quisque nouit. Cf. quoque nonnulla martyrum gesta; — 2° mentio « ep. Petri *ad gentes*, Jacobi *ad XII tribus*, Ioannis *ad Parthos* »: tum enim Apostolorum gesta scribebantur.

3. Codicis Amiatini Index (P. Corssen, *Die Bibeln des Cassiodorus und der Codex Amiatinus*, in *Jahrb. f. prot. Theologie*, IX, 1883, 618. — White, *The Codex Amiatinus and its birthplace*, in *Studia Biblica*, Oxford, 1890, II, 273), et Cassiodoriana-hieronymiana descriptio ex quodam archetypo communi pendent: in Esdrae II Macchabaeorum Zachariae Aggaei libris consonant; eumdem uero codicem non referunt: in epistulis catholicis, ordine Petrinarum Paulinianarumque epistularum inter se differunt. — Numerum 70 mutare noluit pseudo-Hieronymus, etsi epistulam ad Hebraeos 26 Testamenti Noui libris addidit, ideoque forsitan Iohannis epistularum numerum referre non curauit.

Salomonis libri III...;
Ep. Pauli (Ephes., Thessalon., Hebraeor.), Petri 2, Iacobi, Ioannis 3.

Deinde damasianus et hieronymianus textus ambo, simul atque scripta ea canonica memorant ex quibus, quasi ex sacerrimo fonte, disciplinae dogmatisque christiani doctrina manat, synodalia decreta quoque sollemnia referunt quae ecclesiae, rebus ab Apostolorum tempore memoria traditis fidentes, in conciliis œcumenicis decreuerunt, Nicaena scilicet, et Ephesia et Chalcedonica[1].

Ita ex omnibus quae attulimus testimoniis cernitur, damasianum concilium opus illud librorum retractatorum denuntiare, quod Gothorum temporibus Catholici aggressi sunt, ut incorruptis editionibus tutius aptiusque quam codicibus igne publice deletis « Manichaeorum falsationes » penitus abolerent.

1. Apud Senatorem concilium constantinopolitanum secundum inter alia inseritur. Pseudo damasianus anonymus ecclesias addidit prout origine quaeque ueneranda ei videbatur : «...Prima Petri apostoli sedis romana ecclesia...; secunda sedis apud Alexandriam...; tertia uero sedis apud Antiochiam. » — Quae Senator, antequam de Synodis agit, de *sex modis intellegentiae* disserit, prologum damasianum de *septem Spiritus donis* uocat in mentem : alium damasianum exstitisse prologum suspicor qui de *sex modis intellegentiae* tractaret, sex modis scilicet quibus « intellegentia » Scripturarum Sacrarum sensum perspicere ualeret : nam alium iam prologum concilio praefixum in Codice Lucensi (P. L. 59, 165) legimus, qui « uir[i] eruditissim[i] Hieronim[i] auctoritate » utitur : quid obstat quominus alii huius generis exstiterint, nunc deperditi?

CAPUT TERTIUM

QUOMODO CATHOLICI ADVERSUS MANICHAEOS PVGNAVERINT 2° LIBROS APOCRYPHOS RETRACTANDO

Inter opera catholica in damasiano concilio memorata libri aliquot recensentur qui, genuinis aliis similes, recipiendi sunt; tamquam autem apocryphi non sunt legendi, ut Rufini et Origenis et Eusebii, uirorum dubiae auctoritatis, opera : *Gesta Martyrum* sunt et *Vitae Patrum* et *Actus* Siluestris et scripturae de inuentione Crucis aut capitis Iohannis Baptistae. In eis *apocrypha catholica* deprehendis.

Catholici enim libros canonicos aut dogmaticos non tantum emendarunt. Nam « traditiones » quae quondam non tanta auctoritate erant usae ut ab ecclesiis reciperentur et quas nuper, ut dictum est, in latinam linguam Manichaei uerterant, quasi prouinciam sacram iam deperditam recuperare cuperent, emendare et earum recensionem suam edere studuerunt.

I

De Christo. — Scripta quae iam typis sunt mandata — ea etiam quae adhuc in bibliothecarum latebris fortasse latent — catholici operis expresse describendi non dant, ut uidetur, facultatem; nonnulla autem quasi adumbrare licet.

Matthaei Euangelium retractatum liber de *Ortu beatae Mariae et Infantia Saluatoris* inscribitur et beato Hiero-

nymo tribuitur : nam anonymus auctor ita Hieronymi nomine utitur :

Dilectissimo fratri suo Ieronimo presbytero Cromatius et Eliodorus episcopi in Domino salutem.

Ortum Mariae uirginis et natiuitatem et infantiam Domini nostri Iesu Christi in apocryphis libris inuenimus. In quibus multa contraria fidei nostrae considerantes scripta recusanda credidimus uniuersa, ne per occasionem Christi traderemus laetitiam antechristo. Ista ergo nobis considerantibus exstiterunt uiri sancti Parmenius et Virinus qui dicerent sanctitatem tuam beatissimi Matthaei euangelistae manu scriptum uolumen hebraicum invenisse, in quo et ipsius Virginis Matris ortus et Saluatoris nostri infantia esset scripta. Et idcirco tuam rogamus caritatem per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum expetentes ut illud ex hebraico latinis auribus tradas, non tam ad percipienda ea quae sunt Christi insignia quam *ad haereticorum excludendam astutiam; qui ut doctrinam malam instituerent, bonae Christi natiuitati sua miscuerunt mendacia,* ut per vitae dulcedinem mortis amaritudinem occultarent. Erit ergo purissimae pietatis ut uel rogantes fratres tuos exaudias, uel episcopos exigentes debitum caritatis quod idoneum credideris recipere facias. Vale in Christo et ora pro nobis. — (Tischendorf, p. 50-51.)

Cui epistulae in qua, quantum ab haereticis Catholici turbati fuerint manifeste apparet, duas alias esse rescriptas codices nos monent. Prioris *(qui terram auri consciam),* quae uetustior uidetur esse, auctor eadem atque clerici creduli, scientiae paruae, magnae fidei sentit, utpote qui se canonicum librum aliis iam recensitis additum minus uelle aperte declaret, atque se hoc tantum aggredi, Leucii auctoritatem infringere eiusque scriptis animos subducere fideles. Ceterum de sinceritate Matthaei euangelii dubitare non audet, — ut ipse sentiet lector :

Dominis sanctis ac beatissimis Cromatio et Eliodoro episcopis Ieronimus exiguus Christi servus in Domino salutem.

Qui terram auri consciam fodit, non illico arripit quicquid fossa profuderit lacerata; sed priusquam fulgidum pondus vibrantis iactus ferri suspendat, interim inuertendis suspendendisque immoratur

6

cespitibus et specialiter qui nondum lucris augetur. Arduum opus iniungitur, cum hoc fuerit a uestra beatitudine mihi imperatum quod nec ipse sanctus Matthaeus apostolus et euangelista uoluit in aperto scribi. Si enim hoc secretius non egisset, euangelio quoque suo quod edidit addidisset. Sed fecit hunc libellum hebraicis litteris obsignatum, quem usque adeo non edidit ut hodie manu ipsius liber scriptus hebraicis litteris a uiris religiosissimis habeatur, qui eum per successus temporum a suis prioribus susceperunt. Hunc autem librum ipsum tum nunquam alicui transferendum tradiderunt. Sicque factum est ut a Manichaei discipulo nomine *Leucio, qui etiam apostolorum gesta falso sermone conscripsit, hic liber editus non aedificationis sed destructionis exhiberet materiam et qui talis probaretur in synodo cui merito aures ecclesiae non paterent. Cessent nunc oblatrantium morsus : non enim istum libellum canonicis nos superaddimus scripturis, sed ad detegendam haereseos fallaciam apostoli et euangelistae scripta transferimus.* In quo opere tam iubentibus piis episcopis obtemperamus quam impiis haeresibus obviamus. Amor ergo Christi est cui satisfacimus, credentes quod nos suis adiuuent orationibus qui ad Saluatoris nostri sanctam infantiam per nostram potuerint obedientiam peruenire. — (Tischendorf, 50-52.)

Alterius epistulae *(Petitis a me ut uobis rescribam)* anonymus auctor cum originis apocryphae Euangelii suspicionem habeat, inter ordinum superiorum clericos uerisimiliter est inquirendus, eo uerisimilius quod idem, Leonem et Turibium uestigiis persecutus, historica et dogmatica diiudicat, haec reicit, illa laudat. Immo, ut scriptor concilii damasiani qui gesta martyrum non legenda ducit, in iis tamen descripta miracula in dubium minime uocat, ita qui epistulam scripsit, is, postquam sinceram Euangelii originem in incerto reliquit, cautissime profitetur Beatae Mariae natiuitati maxima praecucurrisse miracula :

Illud autem libere dico, quod fidelium neminem negaturum puto, siue haec uera sint, siue ab aliquo conficta, sacrosanctam sanctae Mariae natiuitatem magna miracula praecessisse, maxima consecuta fuisse et idcirco salua fide ab his qui Deum ista facere posse credunt, sine periculo animae suae credi et legi posse.

Epistula ergo illa uerisimiliter concilio damasiano aequalis exstat; quod de priore fortasse est repetendum, si modo concilium in ea memoratum idem est quod concilium nostrum damasianum[1].

Quae igitur de infantia Mariae et natiuitate Christi memoriae tradita erant in iisdem recensionibus, ut uidetur, a Catholicis sunt collecta; aliter autem in utriusque annis ultimis narrandis sese gesserunt.

Descensus enim ad Inferos narratio altera (B) a Constantino Tischendorf praelo mandata Leonis aut Gelasii temporibus ascribi potest. Vocabula *abbates*[2], *fratres Karissimi, eremicola* quartum quintumue iam saeculum declarant. — Cum autem anonymus « Adam prouolutum pedibus Domini »[3] aut Infernum Christi descensum timentem effingit, Martyrum gesta Romanorum in mentem uocat ubi saepius pagani, baptismatis auidi, « pedibus martyrum prouoluti » inducuntur et daemones in idolis abditi eorumdem martyrum preces reformidantes; haec quoque uocabula *uirtutes, concilio congregato*[4], *homo in humanitate et deus in maiestate* cum aetate illa maxime congruunt. — Hoc uero eamdem, ut uidetur, ostendit, quod, cum populus Annam et Caïpham iussit Charini scripta legere, anonymus ita loquitur:

Postquam perlecta fuerint nos ea conseruabimus *ne forte ueritas dei haec ab immundis et fallacibus uertatur obcaecatione in falsitatem.*

1. Sixtus papa tertius (432-440) Nestorii cladem in arcu triumphali basilicae liberianae effingi iussit operariosque Matthaei Euangelio uti siuit, sicut comprobauit de Waal : *Die Apokryphen Euangelien in der altchristlichen Kunst* (*Röm Quartalschrift,* 1877, 172). Cuius rei rationem qui reddere studebit, is, ut opinor, catholicam *traditionem* de his rebus tunc exstare suspicabitur: *recensionem* autem catholicam coniciat non est necesse. — Epistulam tertiam pseudo-hieronymianam. *(Petis a me petitiunculam, opere quidem leuem, sed cautela falsitatis admodum grauem...)* in Codice Parisino 1864 inventam, Bollandiani ediderunt (*Catal.,* Paris, I, 92) cuius scriptor libellum, a se antea lectum, se referre dicit.

2. Tischendorf, p. 396.

3. Id., p. 408.

4. Id., p. 410, 398.

Nonne hoc aetatem, qua Manichaei scriptorum falsatorum arguebantur, redolet? — Nonne etiam eamdem mente repetis, si modo, Judae Cyriaci gesta[1] iam lecta habens, quae de sancta Cruce narrantur — ea autem in graeco desunt — ibi legis:

Tunc omnes sancti Dei rogauerunt Dominum ut uictoriae signum sanctae crucis relinqueret apud inferos, ne praeualerent ministri eius nequissimi aliquem retinere culpatum, quem absoluerit Dominus. Et factum est ita, posuitque Dominus crucem suam in medio inferni quae est signum uictoriae et usque in aeternum permanebit.

Quanta ueneratione Crucem sanctam Romani tum coluerint, is testatur qui rufinianam narrationem retractauit eamque adornatam in gesta Siluestris inseruit[2]. Versionem nostram facile suspicor saeculo quinto exeunte uel sexto ineunte Romae esse redactam.

Traditionum autem quae de ultimis Beatae Mariae annis a Catholicis quoque, eo tempore, ut uidetur, et in eadem urbe retractatae sunt, recensiones nunc Hieronymo tribuuntur, sicuti «assumptio» illa quae ita incipit:

Scientes, fratres dilectissimi, auctoris nostri[3]...

nunc Melitoni Sardensi episcopo Apostolorumque discipulo dicto qui, epistularum iam dictarum exemplo usus, Leucium impugnat, quae historica uera sunt a dogmaticis et falsis rebus diligenter discernit et Petri principatum

1. 4 mai 445. — *Analecta* II, 282-285. — Rossi-Duchesne, p. 53-54. — Saepissime haec gesta inter romana in codicibus inseruntur: in Vindobonensi 1556 post Siluestrem, ante Laurentium; in Vindobonensi 474, post Alexandrum, ante Bonifacium; in Bernensi 47 post Alexandrum, ante Gordianum; in Basileensi B. X, 8, post Jacobum Philippumque ante Alexandrum, etc... Basilica S. Crucis romana saeculo IIII. constructa erat.

2. Cf. Codicem Ambrosianum latinum B. 53 inf., f° 75v, 76v (*Analecta* 1892, 251). Liuaniam et Isachar anonymus sane excogitauit.

3. P. L. 30, 143. — Cf. Epistola IX ad Paulam et Eustochium.

libenter recordatur[1]; — nunc denique Iohanni Euangelistae ipsi assignantur, si quid recensioni in « legenda aurea » seruatae creditur[2], ubi legimus :

Assumptio Virginis Mariae qualis facta sit ex quodam libro apocrypho qui Iohanni Euangelistae ascribitur, edocetur. Apostolis namque ob praedicationis gratiam diuisas mundi subeuntibus regiones, uirgo benedicta...

Librum apocryphum ad Iohannem ascriptum, nil est sane cur certo gothicae aetati referamus, nisi quod in re tractata quaedam ei cum aliis recensionibus inest similitudo.

II

In apostolicis traditionibus retractatis quid Catholici egerint, facilius et quasi subtilius describi poterit.

Apostolis omnibus non pariter imminere Manichaei uidebantur, cum Petrus Paulusque, Iohannes, Andreas, Thomas soli essent, ut uidetur, quorum passionibus ad doctrinam suam in animos instillandam apud Latinos essent

1. Hic est melitonianus prologus :

« Melito servus Christi episcopus ecclesiae Sardensis uenerabilibus in domino fratribus Laodiceae constitutis in pace salutem. Saepe scripsisse me memini de quodam *Leucio, qui nobiscum cum apostolis conuersatus alieno sensu et animo temerario discedens a via iustitiae plurima de Apostolorum Actibus in libris suis inseruit. Et de uirtutibus quidem eorum multa et uaria (uera) dixit de doctrina uero eorum plurima mentitus est, asserens eos aliter docuisse et stabiliens quasi ex eorum uerbis sua nefanda argumenta,* nec solum sibi sufficere arbitratus est, uerum etiam transitum beatae semper Virginis Mariae genitricis Dei ita impio deprauauit stilo ut in ecclesia Dei non solum legere sed etiam nefas sit audire. Nos ergo uobis petentibus quae ab Apostolo Iohanne audiuimus, haec simpliciter scribentes uestrae fraternitati direximus, credentes non aliena dogmata ab haereticis pullulantia, *sed patrem in filio, filio in patre, deitatis et indiuisae substantiae trina manente persona : neque duas hominis naturas conditas,* bonam scilicet et malam, sed unam naturam bonam a Deo bono conditam, quae dolo serpentis est vitiata per culpam et Christi est reparata per gratiam. (*Maxima Biblioth. Veter. Patrum*, II, 2, p. 212. — Apud Tischendorf, *Apocalypses Apocryphae*, p. 124, note. — P. G. V, 1231.)

2. C. 119 (114), § I. — (Cf. *Bibl. Hag. lat.*, IV, 793, 5353.)

usi : primi ergo ii Catholicis curae esse debebant. Hoc enim maxime animaduertendum est, temporibus iis, uulgus demum a paganis diis ad Christi cultum defecisse, cum martyribus intercessoribus maiorem quam diis topicis fidem haberet[1] : plurimum igitur Catholicorum intererat ut Apostolos, inter intercessores, utpote Christi comites, manifeste primos ideoque apud uulgus auctoritate maxima pollentes, Manichaei ad se trahere et sub eorum patrocinio dogmata sua proferre et eos quasi proprios facere non ualerent : nam quas animas ad Christum ducere studebant, eae tum maxime fuissent deperditae. Cum Petro igitur Pauloque, Iohanne, Andrea Thomaque, quorum in clientela patronorum permulti erant, Catholicis arctissime cohaerere studendum erat. Quamobrem, ut opinor, cum Petro Pauloque qui iamdudum ut apostoli proprii Romae colebantur, temporibus iisdem, sanctus Iohannes Euangelista, S. Andreas, S. Thomas tum primum Romae, ideoque fortasse in ecclesiis latinis aliis, publice coluntur iisque tum primum basilicae aut oratoria consecrantur. Hilario papa primo (461-468), Iohannis Euangelistae oratorium; Simplicio papa (468-483) Andreae basilica; Gelasio papa (492-496) eiusdem Andreae oratorium lauicanum in uilla Pertusa; Symmacho papa (498-514) oratorium eiusdem Andreae in b. Petri basilica, oratorium Thomae apostoli, oratorium Iohannis Euangelistae excitantur. A Catholicis tam sollemniter culti, nonne ad Catholicos clientes suos erant ducturi[2]?

1. Cf. Albert Dufourcq, *La Christianisation des foules* (*Revue d'histoire et de littérature religieuses*, IV, 1899, p. 239).

2. Hic (Hilarus 461-468) fecit oratoria III in baptisterio basilicae Constantinianae sancti Iohannis Baptistae et Sancti *Iohannis Euangelistae* et *sanctae Crucis...* (*Liber Pontificalis* I, 242 et 245[3].) — Hic (Simplicius 468-483) dedicauit... *basilicam beati apostoli Andreae* iuxta basilicam sanctae Mariae... (*Liber Pontificalis* I, 249. — *Bull.* 1871, 1-64.) — Hic (Gelasius 492-496) dedicauit... basilicas sanctorum Nicandri, Eleutheri et *Andreae in uia Lauicana in uilla Pertusa...* (*Liber Pontificalis* I, 255, 256[12].) — Hic (Symmachus, 498-514) fecit *basilicam sancti Andreae apostoli apud beatum Petrum...*, *oratorium sancti Thomae apostoli...*; *oratorium sanctae Crucis*. (*Liber Pontificalis* I, 261, 265[16].)

In romano sacramentario leoniano b. Andreas et b. Iohannes, tamquam romani martyres, missam propriam habent. Cf. supra.

Illud opus fuerat summae Catholicae Ecclesiae proprium : catholico autem munere clerici humiliores minus segniter functi sunt, si modo ii *Apostolorum Actuum* recensiones catholicas scripserunt Leucioque uenenata porrigenti pios fidelesque subduxerunt animos. Iohannis Euangelistae gesta catholica tunc conscripta sic incipiunt :

Melito servus Christi episcopus Laodiciae universis ecclesiis Catholicorum in Domino aeternam salutem. Volo sollicitam esse...

Et ita desinunt :

Periculis liberantur piae cum suarum consecuntur effectum, praestante Domino nostro Iehsu Christo qui regnat in saecula saeculorum. Amen. — (Ex Codice San Gallensi 561, folio 60.)

Aliquot eadem quae in gestis martyrum romanis, in eo inueniuntur uerba : *athleta Dei, patrimonium, procurator, uiae incedere tramitem, sagitta diaboli, uocibus organorum, deorum cultura, manufacta idola, recede ab hac doctrina...* Immo paradisi descriptio huius generis alteram quae legitur in Nerei gestis descriptionem in mentem vocat.

Iam regnum paratum uobis erat, et ex coruscantibus gemmis zetas instructas plenas gaudiis, plenas epulis, plenas deliciis, plenas vitae perpetuitate, plenas lumine aeterno, plenas delectationibus amisistis...

Et amisistis loca immarcessibilibus floribus plena, plena uocibus organorum.

(P. G. 5, 1246.)

Inter frondes Paradisi et uitae aeternae immarcessibiles flores, inter nemora Angelorum et prata umbrosa et sanctis odoribus exhalentia : ubi uita aeterna naribus assumitur, ubi aer ipse habet odoramenti uirtutem, ut qui eum naribus suis assumpserit, ultra tristis esse non possit, ultra nulla in eum possit dominationem exercere infirmitas, nullus dolor, nulla tristitia.

(*Acta Sanctorum*, 12 mai, § 6, p. 7.)

Non aliter, pontifices idolorum in Iohannis et in Symphorosae aut aliorum romanorum martyrum gestis easdem

partes agunt, dum adversus Christianos populum movent. Cratonem denique illum nonne a Siluestrianis gestis auctor mutuatus est? Quae omnia ut gestis Euangelistae Iohannis eamdem patriam et aetatem atque romanis martyrum passionibus tribuamus, nos inducunt.

Illud autem ex prologo certius efficitur, qui ea aetate et in eis çœtibus, quibus Leucius maxime reformidabatur, scriptus esse manifeste apparet : ex quo facile intelliges cur Melitonis patrocinio catholicus anonymus usus sit. Leucio enim, Iohannis discipulo, inter Manichaeos et ab eis quasi recepto, quis melius et aptius opponi potuisset quam Melito ille ex Asia et ipse ortus, Iohannis ideo disciplinam secutus, quem Polycrates Ephesius « τὸν ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον »[1], dicebat, et Hieronymus nuper a Catholicis prophetam salutatum referebat[2]. Sic autem loquitur :

Melito servus Christi episcopus Laodiciae universis ecclesiis Catholicorum in Domino aeternam salutem. Volo sollicitam esse fraternitatem uestram de Leucio quodam qui scripsit *Apostolorum Actus* Iohannis Euangelistae et apostoli, sancti Andreae et Thomae apostoli, qui de uirtutibus quidem quas per eos fecit Dominus, uera dixit, de doctrina uero multa mentitus est. Dixit enim docuisse eos duo principia quod exsecratur ecclesia Christi, cum ipse sanctus Iohannes apostolus in capite euangelii sui unum testatur principium in quo fuerit uerbum quo universa creata sunt uisibilia et inuisibilia. Leucius dixit duo principia boni et mali, bona a bono, mala uero a malo principe substitisse...

Quae de uirtutibus et de doctrina diiudicat anonymus cum iis quae apud Turibium et auctorem epistularum libro *de Ortu Mariae* praefixarum iam notata sunt, apte mireque congruunt, idem ac concilium damasianum sapiunt, manichaeismum supra descriptum redolent; gesta ea

1. H. E. V, 24.
2. « Melito Asianus Sardensis episcopus librum... pro christiano dogmate dedit. Scripsit... *de Vita Prophetarum*..., *de Apocalypsi* Iohannis librum unum... Huius elegans et declamatorium ingenium Tertulianus in septem libris quos scripsit adversus Ecclesiam pro Montano, cauillatur, dicens eum a plerisque nostrorum prophetam putari.» (Hieronymus, *De Viris ill.*,24. — P. L. 23, 643.)

igitur Iohannis, Melitoni ascripta, Romae saeculo quinto exeunte, nisi fallor, sunt composita quo minus leuciana passio iam legeretur fidelesque Iohannis, cui oratorium aedificabatur (461-468), rerum gestarum curiosi, catholica narratione secure uti possent.

Idem euenit de sancto Thoma, cuius oratorium aedificatum (498-514) gesta componendi, ut opinor, occasionem dedit.

Quod quidem indicant quoque uerba nonnulla in gestis romanorum martyrum saepissime usurpata, qualia *praepositus, cantantium uoces in organis, pincerna, deus Abraham Isaac et Jacob, quia longum est tendere, terrenus, carnalis, pedibus aduoluti, aeterni regni participes effici, consignans signo Christi baptizauit.* Hic autem quoque hae uerborum similitudines alteras, quasi penitus insitas, ostendunt: nam Dionysii Pelagiaeque et Caritii Migdoniaeque historiae imaginem aliquam Caeciliae et Valeriani aut potius Domitillae ac cubiculariorum historiae proximam reddunt, in quibus uirginitas pari modo laudatur :

Virginitas omnium virtutum dignitatem excedit: ita ut secundum locum post Martyres teneat et sit inter uirtutes ceteras prima. Seruiunt enim illi uniuersae uirtutes et quasi Augustae cubiculariae suae ita oboediunt imperiis suis. Blanditur ei fides, amplectitur eam spes, osculatur eam caritas; et omnes quae adstant in conspectu regis caelorum patientia, perseuerantia, constantia, contemptus mundi, vigilantia....., omnes istae quae sunt memoratae et quae non sunt memoratae uirtutes famulantur ei. Inter frondes paradisi et uitae aeternae inmarcessibiles flores, inter nemora Angelorum... (12 mai, §6, p.7.)

Ecce Thomas apparuit eis dicens :..habetis integritatem, quae est omnium regina uirtutum et fructus salutis perpetuae. Virginitas soror est angelorum et omnium bonorum possessio; uirginitas uictoria libidinis, trophaeum fidei, uictoria de inimicis et uitae aeternae securitas. Nam nascitur de corruptione pollutio, de pollutione reatus, de reatu confusio, ex iis operibus oriuntur filii aliquando cum periculo parientis. Dum prouidetur matri, filius cupiditissime educitur, et tota mulier praegnans aegrotat, dolet, fastidit, angustiatur, et partus dolore consumpta secretorum suorum praeco ipsa efficitur. Tandem aliquan-

Conceptum... in utero pondus die noctuque portabit inuita : quo pondere efficitur aegra, tumens, pallida, uix suis pedibus incedere praeualens; ciborum utilium perferens fastidia, cibis noxiis delectatur; nonnumquam etiam sinus ipse interior aut abundantia sanguinis inflammatur, aut humoris nimietate algescit, aut siccitatis macie constringitur, aut pinguedine coarctatur : ex quibus causis intra uteri secreta concepto foetu morbi nascuntur, ex quibus solent debiles nasci, curui et claudi... Solet etiam surdus atque mutus aut plenus uulneribus, aut etiam cum daemonio procreari, ut prius quaerere exorcistam necesse sit quam nutricem. — (12 mai, § 4, p. 7.)

do egreditur infelix homo, aut strambus, aut debilis, aut quacumque parte laesus membris, plerumque etiam cum daemonio nascitur aut lunaticus procreatur. Ecce quibus casibus commixtio ipsa deseruit... — (Bonnet. Passio..., p. 138.)

Neutra autem narratio, si quid sapimus, ex altera pendere uidetur, ut si non ab eodem est conscripta, arcta certe cognatio inter scriptores intersit.

Hic autem est locus alter quem iam docti notauerunt, qui et ipse originem romanam et aetatem gothicam totius libri non minus aperte significat : ut clericus romanus is est certo, qui Dionysium et Pelagiam atque Valerianum et Caeciliam castitatem utique docet, ita is est etiam qui, iisdem prope uerbis, Trinitatis christianae obscurius dogma et Valeriano et Gundaforo explicare conatur.

Dicit ei Tiburtius : Credendum certe unum esse Deum in caelis asseritis : quomodo nunc esse tres testaris? Respondit Caecilia : Vnus est Deus in maiestate sua quem ita in Sancta Trinitate diuidimus ut in uno homine dicimus esse

Si uolueritis ad uitam aeternam pertingere, primo omnium credite in Deum Hebraeorum et in Vnigenitum Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum et in Spiritum Sanctum, non ut tres deos putetis, sed unum...,

sapientiam unam, quam sapientiam dicimus habere ingenium memoriam intellectum. Nam ingenio adinuenimus quod didicimus, memoria tenemus quod docemur, intellectu aduertimus quicquid uel uidere nobis contigerit uel audire. Quid modo faciemus? Numquid non ista tria una sapientia in homine possidet? si ergo homo in una sapientia trinum possidet nomen quomodo non Deus omnipotens in una deitate sua Trinitatis obtinet maiestatem. Tunc Tiburtius prostratus... — (*Gesta Caeciliae*, XVII-XVIII.)

Spiritum... procedendo ex Patre et unam deitatis substantiam in Trinitate integra adimplendo... Dabo autem uobis exemplum quomodo tria de uno procedunt. Certe una est sapientia in homine et de una sapientia procedit intellectus et memoria et ingenium. Nam ingenium est ut quod non didicisti adinuenias; memoria est ut non obliuiscaris quae didiceris; intellectus uero ut intellegas quae ostendi potuerunt uel doceri. Si ergo tu homo habere potes tria ista in una sapientia, quanto magis Deus in una deitate tres quidem personas habere credendus est, sed unam substantiam... — (Bonnet. Passion, 145.)

Quae uerborum similitudines *(ingenium memoria intellectus)* eo attentius sunt obseruandae quod, ut uidetur, nusquam occurrunt : ad idem enim dogma explicandum his uerbis utitur Augustinus *fonte fluuio potione*, *radice robore ramo*[1], *igne splendore calore*[2], *memoria intelligentia uoluntate*[3], *memoria intellectu amore*[4] : quae ultima apud Eugyppium recurrunt[5], illa paenultima apud Fulgentium Ruspensem[6]; nusquam uero quae in Caeciliae et in Thomae gestis[7] deprehenduntur, eadem leguntur *ingenium memoria intellectus :* idem sine dubio utraque scripsit. Ex his cunctis

1. *De fide et symbolo*, 17. — P. L. 40, 189.
2. *De symbolo*, sermo ad cathechumenas. — P. L. 40, 659.
3. *De Trinitate* X, 11. — P. L. 42, 983.
4. *Id.*, XV, 22. — P. L. 42, 1089.
5. *Thesaurus*, 247-248. — P. L. 62, 927.
6. *Contra Serm. Fastid.* 15. — P. L. 65, 921.
7. Codex Palatinus Vindobonensis latinus 602 (s. XII), quem inspexi, romanae martyris post Thomae passionem scriptam praebet. Cassiodorus testatur Thomae cultum edessenum Romanis esse notum (*Hist. Trip.* VII, 32. — P. L. 69, 1092).

uerisimiliter sequitur, ut cum apostoli oratorium aedificaretur, tum eiusdem gesta sint scripta.

Fere eadem dicemus de passione beati Andreae quam « oculis (suis uiderunt) omnes presbyteri et diacones ecclesiarum Achaiae » et scripserunt « uniuersis ecclesiis quae sunt in oriente et occidente et meridiano et septemtrione in Christi nomine constitutis ». Praeter enim uocabula quae in gestis romanis recurrunt, *mysterium crucis, credideris ex toto corde, athleta Domini, cultura idolorum, uoce magna;* — praeter loca aliquot quibus dolores qui praetereunt, iis qui manent opponuntur, seu persecutor dare poenas narratur, seu gestorum per prouincias scriptorum mentiones fiunt, seu denique proconsul apostolum « ab stultitia et a Christi... laude cessare (suadet) ut (possit)... non *amittere gaudia uitae* »; — praeter illa, inquam, quae cuncta romana gesta redolent, argumentum ipsum in quo narratio tota uersatur, aetatem et originem eius palam ostendit. In alio libro comprobauimus[1] Catholicorum erga martyres uenerationem, Hieronymi non tantum et Heluidiani temporibus, uerum etiam, saeculo post eos iam toto elapso, procellas excitasse, atque in editionibus retractatis gestorum aliquot, Processi scilicet, Basilidis, Pancratii, Petri et Pauli, Clementis, Anastasiae, Cornelii litis huius quasi instrumentum adhuc reperiri. Quare, aiebant Manichaei, honores tantos martyribus reddamus? Mortem quam passi sunt, quomodo effugere potuissent? Christus ipse nonne *traditus est?* ex quo conficitur eum non *sua sponte* mortem obiisse. Martyres quoque, quotiescumque potuerunt, fugerunt : ad supplicium non processerunt *ultro*. — Ea autem coniectura, qua una gestorum iamdictorum ratio redditur, est argumentum in quo tota uersantur Andreae gesta eorumque quasi caput exstat :

Tu es Andreas qui destruis templa deorum, inquit apostolo Aegeas proconsul... Ista superstitiosa et uana uerba Iesus uester dum

1. Albert Dufourcq, *Étude sur Les « Gesta martyrum » romains*, 3e partie, p. 331.

praedicaret, Iudaei illum crucis patibulum adfixerunt. Andreas respondit : O si uellis scire mysterium crucis...; *non inuitus sed sponte* suscepit! Egeas dixit : Cum traditus adseratur a suo discipulo et a Iudaeis tentus..., quomodo tu dicis *spontaneum* crucis subisse patibulum[1]... »

Infra narratio legitur populi apostolum a manibus proconsulis eripere conati, in qua zelum catholici clerici facile deprehendis, qui occasionem Manichaeos refellendi et Martyres ultro mortem esse passos comprobandi alacriter arripuit :

Venit... multitudo paene totius prouinciae ita ut Aegeam uellent occidere et Andream apostolum fractis ianuis carceris liberare... quos sanctus Andreas his uerbis ammonuit : Nolite quietem Domini nostri Jesu Christi in seditionem diabolicam excitare...; habete ergo silentium quietem et pacem et non solum *meum martyrium nolite impedire...*, uerum[2]...

Quae eadem postero die iterum accidunt; populus iterum Andream morte liberare studet apostolusque iterum petit « *ut non (impediat) passionem suam* »; postremo, ueluti Pancratius, ad mortem procedit « gaudens et exsultans ». Quid, quod catholicus noster quae sentit ipse, ea Deum ipsum rata habuisse uoluit : nam, cum Aegeas timore perterritus, Andream de cruce deponere cogitat, Andreas recusat :

Iam regem meum uideo, iam adoro, iam in conspectu eius consisto.

Et, cum aliqui eum inuitum deponere conantur, *frustra conantur, a Deo impediti :*

Mittentes autem manus ad crucem carnifices non poterant penitus contingere eum, et subinde et alii ingerentes se ut soluerent eum, *nullus poterat pertingere ad eum : stupebant enim brachia*[3]...

1. *Passio Andreae* (Bonnet, 3-5).
2. *Passio Andreae* (Bonnet, 16-17). — Cf. *Catalog. Cod. Hag. lat.* Bruxelles, I, 22.
3. *Passio Andreae* (Bonnet, 32).

Apostolorum igitur et martyrum passiones Dei uoluntatem et potentiam significant, non autem Dei mali potentiam et uictoriam declarant[1] : Andreae gesta iisdem temporibus et in iisdem coetibus quibus Processi et Cornelii et Petri Paulique gesta sunt redacta; ut Iohannis et Thomae passio, ita ea Romae, circa a. 500, conscripta sunt, dum basilica eius exstruebatur.

III

Leucii recensiones et trium apostolorum Romam nuper inuectus cultus Romanis clericis suadebant ut de trium illorum, Iohannis et Thomae et Andreae gestis curarent : equidem crediderim, ut iam dictum est, unius cuiusque sancti oratorii aedificationem ad res eius gestas inquirendas hominum excitasse animos. Alii autem apostoli quae gesserint, quomodo scire Romani curauissent? Scriptum nullum nos monet neque Leucium de illis aliis aliquid scripsisse neque papam ullum oratorium iisdem tum consecrasse.

Apostolos duodecim Romanis curae fuisse ex epistula hieronymiano feriali praefixa perspicimus :

> Sane in prima parte libelli omnium apostolorum festa conscripsimus ut dies alii non uideantur diuidere *quos una dignitas apostolica in coelesti gloria fecit esse sublimes.*

Iisdem fere temporibus Ricimer de suo musiuum opus nunc deperditum in abside basilicae S. Agathae componi iubebat, in quo apostoli duodecim picti uidebantur. Postremo eadem aetate circumferebantur excerpta quaedam ex Apostolicis Constitutionibus quae, Apostolorum nominibus praemissis, in quinquaginta canones Dionysius redegerat. Tantum

1. Manichaei, ut iam dictum est (p. 45), Dei potentiam in dubio ponebant.

igitur a Leone usque ad Symmachum Romani aberant ut Christi apostolos duodecim, quasi collegium quoddam sacrum habitos, neglegerent!

Cum igitur eos ueneratione prosequerentur, cum Leucius ex altera parte in apostolos aliquot, ideoque in apostolos quoque omnes, Catholicorum inflexisset oculos, fortasse contigit ut, praeter proprios et « leucianos », reliquos tandem curarent, utpote qui a Iesu electi, Evangelium praedicassent. Ceterum ut eos Manichaeis quasi subducerent, fides catholicos monebat, ut praeteriti saeculi usu prudenter semel uterentur. Quod quidem, ut opinor, euenit : apostolorum certamina — quorum meminit anonymus auctor Sixti papae gestorum — scribere studuerunt, ideoque compendium historiae apostolicae totius et aliquorum ex reliquis apostolis gesta conscripserunt.

In *Breviario Apostolorum*[1] proferuntur nomina, cognomina, patria, regiones quas euangelium docuerunt, sepultura, supplicium : quae cuncta ex sequenti tabella melius apparebunt.

Symon Petrus	oboediens agnoscens	Bethsaida Galileae	Roma	Roma	crux.
Paulus	pius	Beniamin tribus		Roma	capite truncatus.
Andreas	uirilis, decorus		Scythia	Patras	crux.
Iacobus	suplantator		Spania, Occidentalia loca	Achaia Marmarica	gladio caesus.
Iohannes	gratia dei		Asia	Efesus	
Thomas	abyssus				
Didymus	[si] miles dei		Parthi, Medi Orientalis plaga	Calaminica Indiae	lancea.
Philippus.	os lampadis	Bethsaida Galileae	Galli	Hierapolis Frygiae	crucifixus lapidatus.
Iacobus fr. Dni			Hierusalem		lapidatus.
Bartholomaeus	filius suspendentis aquas		Liconia	Albano maioris Armeniae	decoriatus decollatus.
Matthaeus	donatus	Leui tribus	Iudaea Macedodonia	Persida in montibus Partorum	
Symon	zelus chananeus		Ægyptus	Portoforo	crux.
Iudas	confessor		Mesopotamia, Interiora Ponti	Meritum, Armeniae urbs	

1. *Analecta,* II, 9-10.

Apostoli duo igitur in Armeniae ciuitatibus quiescunt Bartholomaeus et Judas; unus in Perside Matthaeus, unus in India Thomas, unus fortasse in aliqua Orientis parte Symon. Pari modo festi dies duo cautius Iohanni ascribuntur et cum de Iacobo agitur eiusque natalis dies notatur, anonymus noster in hoc loco « *creditur* » scribit. Qui tam caute loquatur et Orientem tam diligenter curet, is damasiano concilio et gestis martyrum aequalis sane uidetur exstitisse. — Hoc autem aetatem gothicam, ut fert opinio mea, palam ostendit, Paulum « eodem die quo et » Petrum passum esse dictum, atque Petrum « propter Symonem magum, licet Dei occultò nutu, Romam » uenisse ibique « *ut uoluit* » in crucem esse actum. Locus ille damasiani concilii locum in mentem uocat, quo *haereticorum garrientium* mentio fit qui Petrum et Paulum diuerso die passos asseuerant; immo dum anonymus Petrum « propter Symonem magum licet Dei occulto nutu Romam » peruenisse dicit, ostendere, nisi fallor, cogitat, Dei apostolum a filio diaboli Simone nequissimo nihil esse coactum eumque Petrum, quamquam « propter Symonem magum » uenerit, tamen et vere « Dei occulto nutu » Romam perrexisse : qua coniectura ad ueritatem eo propius accedere mihi videor quod in Cyriaci gestis tum fere Romae compositis, simile aliquid fertur. Dum Cyriacus daemonem ex Artemia, Diocletiani filia, eicere curabat, « ille exclamauit, dicens :

O Cyriace, si hinc me eicis, in Persidam te faciam uenire. Dicit ei Cyriacus... Exi, et continuo exivit.

Post paucum uero tempus uenit legatio a Rege Persarum ad Diocletianum Augustum, ut Cyriacum Diaconum ad se dirigeret : quia filia eius a daemonio vexabatur... Beatus autem Cyriacus cum baculo suo... (pervenit) ad Saporem Regem Persarum... (qui) adoravit eum rogauitque ut introiret in cubiculum ad filiam eius nomine Iobiam. Eadem hora exclamauit diabolus ex ore puellae et dixit ad Cyriacum : Quid est, Cyriace? Respondit Cyriacus : In nomine Domini mei Jesu Christi, praecipio tibi, immunde spiritus, exi... Respondit diabolus : *Fatigatus es*. Respondit Cyriacus : Ego

exivi in nomine Domini mei J. C., cuius auxilio gubernatus sum et in omnibus gubernor et non sum fatigatus. Dicit ei diabolus : *Tamen ego perduxi te ad quod volui.* — (16 janvier, § 11, 13, 14, p. 7.)

Haec quoque uerba « (Petrum) ut uoluit cruce suspensu[m] » idem atque Andreae gesta catholica sapiunt et controuersias quarum iam meminimus de inuito aut spontaneo martyrum sacrificio habitas significant. *Breviarium Apostolorum, Eusebiano martyrologio* fortasse praefigendum, composuit, ut uidetur, damasiani concilii aetate, catholicus qui, quo maiorem apud fideles haberet fidem, doctior et eruditior uideri studuit. Unde factum est ut apostolorum nomina tam mirifice, quasi syriaco et orientalibus uteretur sermonibus, enodaret: perinde quasi eorum historiam penitus cognouisset, terras tum notas iis cunctis assignauit: eiusque plane excogitata decreta, prout fortuna fauit, aut ad irritum ceciderunt aut ab omnibus sunt recepta : quemadmodum Philippus a Gallis numquam ut apostolus proprius est cultus[1], ita Iacobus ab Hispanis quasi euangelicam fidem eos docuisset, proprius apostolus habitus est et habetur[2].

1. Ex textu nostro pendent, sine dubio, Frecùlphus (P. L. 106, 1148), Guilelmus (P. L. 179, 1683), Ordericus Vitalis (P. L. 188, 156), Petrus (P. L. 198, 1698).

2. In Codicis Monacensis margine legitur prope nomen Petri *solitus;* — Pauli... *phyrus;* — Andreae *erillus;* — Iacobi *ilcedonius;* — Iohannis *acinctus;* — Thomae *iaragd;* — Philippi... *ydonix;* — Iacobi *amatixtus;* — Bartholomaei *lapsis;* — Matthei *sardonix;* — Symonis Zelotis *topazus;* — Iudae *crisoprasim;* — Matthiae solius nihil. — Quae cognomina, pleraque ex lapidibus ducta — fortasse figurata et inter Manichaeos habita — videntur. — Cf. Virgo Maria « *Margarita pretiosissima* » dicta est in libro *de Transitu b. Mariae.* — Cf. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso :* in principio sermonis eius accedentes ambierunt eum lapides pretiosi, disciputi sui, a quibus exordium annuntiationis eius fieret. » (Augustinus, *In Psalmum 2* enarratio. P. L. 36, 166).

Nominum interpretationes a Hieronymo fluunt.

« Simonis, obedientis, siue ponentis tristitiam aut audientis moerorem (849-850) Petrus, cognoscens siue dissoluens (849). Paulus, mirabilis siue electus. Andreas, decus in statione, uel respondens pabulo, sed hoc uiolentum. Melius autem est, ut secundum graecam etymologiam ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, id est, a uiro uirilis appelletur (845-846). — Iacobus ??? — Iohannes, in quo est gratia uel Domini gratia (847-848). — Thomas, Didymus, id est geminus uel abyssus (850). — Filippus, os lampadarum (847-848). — Bartholomaeus, filius suspendentis aquas, uel ut supra (846). — Matthaeum, donatum (848). — Simon zelotis ??? — Iudas ??? — Mathias ??? (Hieronymus, Liber *de Nominibus Hebraicis Noui Testamenti*). in *De Actibus Apostolorum* (praesertim. P. L. 23, iisdem columnis, uncis inclusis, citata leges).

Romae quoque et gothicis temporibus uerisimiliter Bartholomaei et Matthaei et Simonis Iudaeque gesta esse conscripta suspicor[1].

Inter illa arctissima cognatio interest. In codicibus enim apostolicas historias praebentibus, hoc ordine fere leguntur Bartholomaeus Matthaeus Simon Iudasque: in Vindobonensibus scilicet 497 et 358, in Parisinis Bib. nat. 12602, 18298, 12604, 11750, 5273, 5274, 9737, Genouefensibus H. C. 3, H. C. 9, H. C. 10, in Guelferbytano 48 et in Helmensi 497[2]: San Gallensis tantum codex 561, et Vindobonensis 534 et quo usus est Nausea, ii soli, ut opinor, Bartholomaeum a Matthaeo et Simone Iudaque seiungunt: quod, in summo de gestorum ordine codicum aliorum consensu, dum apostolorum reliquorum passiones fere numquam in codicibus eodem modo ordinantur, parui sane habebitur momenti; ex eo igitur fere constanti ordine suspicor, illorum editiones principes, in codice eodem compositas ad lucem simul esse editas.

Nemo dubitabit quin Matthaei et Simonis Iudaeque gesta eodem tempore et ab eodem fortasse anonymo sint conscripta. Matthaei enim gesta ita desinunt:

Sed sicut praefati sumus, quia Deo cura est de hominibus et est homo carus Deo, si ipse uilem non faciat neglegendo, missi sunt ad Persidam sancti apostoli duo Iuda zelotes et Symon chananeus qui, qualiter cum eis (magis) conflixerint et superauerint in Dei nomine, *sequens libellus ostendit.*

Qui in codicibus «*sequens libellus*» ita loquitur.

Incipit passio apostolorum Symonis et Iudae. Symon chananeus et Iudas zelotes apostoli Domini nostri Iehsu Christi cum per reuelationem Spiritus Sancti Persidis fuissent regionem ingressi...

1. Gesta Bartholomaei apud Max. Bonnet leguntur (*Passio Andreae*... Lipsiae 1898, p. 128); — Matthaei apud Bollandum (21 sept. 220); — Simonis Iudaeque apud Mombritium.

2. Lipsius, *Die apokryphen Apostelgeschichten und Apostellegenden*, I, 124, 125, sq. Vindobonenses codices inspexi ipse.

Et quos iam in gestis Matthaei uidimus, iidem magi Zaroes et Arfaxat in gestis Simonis rursus apparent qui cum Dei apostolis in Perside, ueluti antea in Æthiopia, pugnant; et eadem in Perside atque in Æthiopia apostoli conati, populum conuertunt, ecclesias exstruunt, clerum componunt. Eadem quoque in India Bartholomaeus aggreditur, hac in regione quae Matthaei prouinciam sacram, Æthiopiam dico, contingit, quae Simonis Iudaeque Persidi adiacet, quae usque ad Orientis remotissimas partes pertinet. Hanc autem quae inter has tres regiones orientales interest coniunctionem memorat gestorum Bartholomaei scriptor anonymus.

> Indiae tres esse ab historiographis adseruntur : prima est India quae ad Æthiopiam mittit, secunda quae ad Medos, tertia quae finem facit : nam ex uno latere tenebrarum regionem gerit, ex alio latere mare oceanum[1].

Illa qui scripsit, ei sane in animo fuit Orientis « euangelizationem » enarrare, Æthiopiae et Persidis et denique Indiae remotae et prope fabulosae. Quod certe qui ratum habuerit, is nihil mirabitur quod tot similia in gestis illis deprehendat : inuocatur Deus Abraham Isaac et Iacob; — diuitias apostoli Dei respuunt; — pallio utuntur; — corpora sancta a longinquis ciuitatibus repetita, in magno honore habentur; — Persarum clarissimi reges mire in has apostolicas historias inducuntur, Astyages in Bartholomaei et Xerces in Simonis Iudaeque gesta; — eiusdem generis et in Matthaei et in Bartholomaei narratione paradisus depingitur; — nequissimi daemones in idolis abditi, ab apostolis uicti, sub specie draconum nigrorum aut non minus nigrorum Æthiopum, spectantibus omnibus, fugiunt. Illa si est gestorum cognatio, ex ea uerisimiliter colligitur coniecturam ex ordine in codicibus seruato ortam haud inanem

1. Bonnet, *Passio Andreae...*, p. 128. — Quae ex *Libro Genealogo* fortasse pendent (*Mon. Germ. Auct. Antiq.* IX, 165-181).

esse gestaque orientalia eadem certe aetate, in eodem codice, si minus ab eodem auctore, fuisse composita[1].

Ætatem gothicam ostendere uidentur haec uocabula in romanis martyrum gestis occurrentia :

Vnum e duobus elige, pontifices templorum, terrenum, carnale, intrepidus et constans, secreta uirginis, abstulerunt cum hymnis et omni gloria.

Haud aliter gestorum Bartholomaei et Matthaei paradisus idem uidetur esse qui in gestis Nerei et Agnetis et Sebastiani describitur; — gestorum prouinciatim scriptorum rationem quae, ut in *Apostolorum Breuiario* ita in gestis orientalibus deprehenditur, in Siluestris quoque et Sympherosae et Getulii et Montani gestis reperies; — auctoritatis augendae fideique confirmandae cura, ex qua iam pseudo-Eusebium, pseudo-Damasum, pseudo-Hieronymum, pseudo-Linum, pseudo-Marcellum, pseudo-Melitonem, pseudo-sacerdotes Achaiae ortos esse uidimus, hic pseudo-Abdiam et pseudo-Cratonem gignit; — conflictus apostolorum Simonis et Iudae aut Matthaei cum magis Zaroe et Arfaxat hunc conflictum alterum Petri Paulique cum Simone mago in memoriam redigit; — pari modo Deo dat poenas proconsul uel rex qui in sanctos animadvertit, ut Aegeas ita Decius, ut Julianus ita Astyages; — sanctorum potestas qui regis filium morbo sanant, diuitias respuunt, daemones fugant ut in Marcelli gestis, ita in Bartholomaei passione eminet; — ab eodem, ut uidetur, sunt excogitati et Craton qui Simonis Iudaeque gesta persica scripsit et Craton ille qui in siluestrianis gestis apparet, si non ille — fortasse primigenius — qui in Iohannis passione invenitur; — ab eodem quoque memo-

1. Bartholomaei gestorum recensionem primigeniam latine fuisse scriptam comprobauit M. Bonnet (*Analecta Bol.* XIV, 353-366). Facile credam quinque tantum apostolorum « leucianorum » exemplaria graeca exstitisse. — De titulo romano Matthaei (uia Merulana) in synodo a. 499 habita memorato, nil liquet (Duchesne, *Notes sur la topographie de Rome au Moyen-Age. Mélanges... École de Rome*, VII, 1887, 227-229).

ratus est Julius Africanus ille, qui Simonis Iudaeque gesta omnia, in graecum sermonem ab Eutropio uersa, in decem libros diuisisse et eorum gesta persica a Cratone conscripta in latinum transtulisse dicitur et ille qui, ut Symphorosae gesta ferunt, « paene omnium de urbe regia atque de tota Italia Christi martyrum gesta » scripsit et qui, si quid Getulii gestis creditur, « acta martyrum duobus primis saeculis pro Christi fide passorum » collegit; — a romano clero qui comitis Abdonis, in coemeterio Pontiani quiescentis, gloriam nouerat, a praeposito fortasse aliquo huius coemeterii excogitatus est Sennen ille, qui Simonem Iudamque in Perside excipit; — apud eosdem denique sunt composita et Matthaei gesta quae sub fine, quantum Romani Persarum imperium mirarentur, tam apte et tam ingenue significant[1] et Marcelli aut Laurentii gesta quae rem eamdem in Cyriaci et in Olympiadis Polichroniique historiis aperte testantur. Quae cuncta tecum animo uoluenti mox apparebit libellos istos aetate eadem et in iisdem fere coetibus Romae esse redactos.

Coniectura nostra rebus duobus comprobatur. Gestis Matthaei praemissus prologus iisdemque postpositus epilogus quantum de hominibus Deus curet fusius exponunt :

Quoniam Deo cura est hominibus et plus animarum eorum curam gerit quam corporum, plerumque accidit ut laetitia corporalis cum sit temporalis et in lubrico posita et magis desinendo incipiat quam manendo aeternam animae tribulationem infligat. Ex ipsa enim uniuersa peccata nascuntur. Et ideo dixi Deum nostrum plus animarum curam gessisse... — (Ex Prologo.)

Sed sicuti praefati sumus quia Deo cura est de hominibus[2]... (Ex Epilogo.)

1. Beor « uidit filios filiorum suorum usque in quartam generationem et habuit pacem firmissimam cum Romanis et Persis. Omnes autem prouinciae Æthyopum aecclesiis repletae Catholicis usque in hodiernum diem per Iphygeniam... » (Ex Codice Parisiensi 3789 (XI s.), f° 328v.)

2. Apud Lipsium, *Die apokryphen Apostelgeschichten*, I, 147.

Haec qui legerit, quomodo Saluiani operis illius celeberrimi non meminerit quod, post annum 451 certo compositum *de Gubernatione Dei* inscribitur, in quo haec leguntur :

Incuriosus a quibusdam et quasi neglegens humanorum actuum Deus dicitur utpote nec bonos custodiens nec coercens malos et ideo in hoc saeculo bonos plerumque miseros, malos beatos esse...

Eam doctrinam cum factis repugnare, Saluianus ostendere conatur, ita ut Matthaei gestorum prologus ex Saluiani libro pendere uerisimillimum sit.

Me quidem non fugit doctos aliquot uiros in rege Beor cuius in gestis mentio fit, regem Æthiopum Elesbaam agnouisse qui, anno 524, regno sabaico potitus est[1] : quam coniecturam, licet uera et legitima haberi possit, mihi tamen uindicare non ausim, qui inter Beor et Elesbaam quid intersit, reuera, plane nesciam. Utcumque autem res se habet, hoc certe asseri tuto potest, gesta nostra, Saluiano recentiora, gestis martyrum romanorum esse aequalia, et Gothorum aetate, circa annum 500 esse conscripta, cum doctrina, quam magi in gestis Simonis et Iudae exponunt, eadem sit atque Manichaeismus quem iam Melito in Ioannis gestis notauit et quem Catholici uetuerunt :

Erat autem doctrina eorum praua; ita ut deum Abraam et deum Isaac et deum Iacob blasphemantes deum dicerent tenebrarum. Moysen autem dicebant maleficum, omnes prophetas dei a deo tenebrarum missos assererent. Animam hominis partem dei habere dicerent : corpus uero figmentum a deo male [malo] factum et ideo contrarium sibimet : diuersisque substantiis in quibus laetatur caro, anima tristatur et in quibus exsultat anima, corpus affligitur. Solem et Lunam deos affirmantes, aquam simul deitatem habere docebant. Dei autem filium dominum nostrum Iesum Christum phantasiam fuisse nec uerum hominem ex uirgine natum, nec uere passum, nec uere sepultum, nec uere tertia die resurrexisse a mortuis. Haec praedicatio polluta... — (*Passio sanctorum Simonis et Iudae apostolorum*, Mombritius, II, 294^v-295^r.)

1. Gutschmid, *De Königsnamen in den Apokryphen Apostelgeschichten* (*Rhein. Museum*, N. F. XIX, 387).

Quomodo Catholicus fratres a Manichaeismo securius aptiusque submouisset quam eumdem a magis, diaboli filiis, praedicatum et a Dei Apostolis damnatum narrando? Quae igitur cuncta cum romanis gestis congruentia recensuimus, ea non forte fortuna acciderunt sed cognationem certam librorum iisdem fere temporibus scriptorum ostendunt.

Quemadmodum igitur *graecorum*, ita Apostolorum *orientalium* gesta Gothorum aetate composita sunt, — si Graecos appellare licebit quorum corpora Edessae, Patris, Ephesi quiescunt. — Iam autem sensit lector quam saepe Apostolorum gesta cum Martyrum romanorum passionibus comparata sint et quot similia in utrisque sint deprehensa : quod eo magis, ut opinor, animadvertendum est, quod, dum hae vernaculas et patrias traditiones maxime colligunt, illa externas historias aut mere commenticias referunt. Haec autem dubitatio lectoris mentem tam saepe, uereor ne subierit, ut me quidem quasi pudeat huius nondum sublatae : si aliqua inter Apostolorum et Martyrum gesta interest cognatio, eane hoc explicabitur quod haec ex illis seu illa ex his seu utraque ex archetypo communi pendent?

Hoc autem iam exploratum et comprobatum habemus, romanorum martyrum gesta Gothorum temporibus pleraque esse conscripta. Neminem reperies qui apostolicorum gestorum recensiones latinas hac aetate antiquiores existimet : ante Leonem enim cur effloruissent litterae illae apocryphae, difficile intellegeres; Catholici deinde qui in Manichaeos inuehuntur, catholicas apostolorum passionum latinas recensiones nusquam memorant; quae in Iohannis et in Simonis gestis de Manichaeismo leguntur, ea denique nobis suadent uulgaribus manichaeis libellis recentiores catholicos exstitisse. Cum haereticorum dogmata refellant eorumque scriptis et Leonis temporibus gesta catholica Apostolorum recentiora sint, ex eo conficitur martyrum gesta, utpote papa illo recentiora quoque, ex gestis iis Apostolorum catholicis pendere non posse.

Ex altera parte, Apostolorum gesta catholica ex martyrum gestis pendere non possunt, quae, si quis, coniectura mea non probata, in sententiam uulgatam pedibus ibit, apud Gallos, Gregorii temporibus, conscripta esse existimabit. Quae autem, ea aetate, apud Gallos romanorum gestorum notitia fuit? Nulla, Gregorio ipso teste: postquam enim quorum Agiulfus passiones attulerat, de iis, Clemente Chrysantho et Pancratio quaedam narrauit, ita pergit, ut gestorum inopiam desiderans:

Multi quidem sunt martyres apud urbem Romam, quorum historiae passionum nobis integrae non sunt delatae[1].

Ex utraque explorata re hoc necessario concluditur, Romanorum et Apostolorum iam dictorum gesta aut apud eosdem fere et iisdem temporibus esse conscripta, aut utraque ex aliquo communi archetypo pendere. Hoc quod sit et quale, nos, fatemur, omnino fugit: dum non allatum erit, praeterire id liceat. Ceterum Gregorius, antequam in libro *de Gloria Martyrum* inscripto de romanis martyribus iam dictis loquitur, statim de Apostolis quaedam narrauit: unde suspicor eum codicem *romanum* ab Aguilfo allatum, esse secutum, qui cum Clementis, Pancratii et Chrysanthi gestis, Petri et Pauli, Iohannis, Andreae Thomaeque et Bartholomaei — et alia fortasse quaedam contineret. Ut igitur ferialis hieronymiani recensio nostra gallicana ex romana primigenia, saeculo antiquiore, pendet, ita apostolicorum gestorum recensio gallicana, abdiana immerito dicta, a romana primigenia latina editione, Gothorum tempore edita, procedere videtur quae, omissis romanis apostolis, Iohannis, Andreae, Thomaeque atque Bartholomaei Matthaei Simonis et Iudae gesta continebat. De reliquis minime liquet[2].

Propositum sumus assecuti ut demonstraremus circa annum 500 cum Romanae sedis a Leone Magno aucta

1. In *Gloria Martyrum*, 39. — (*Monumenta Germaniae*, p. 513.)
2. Philippi et Iacobi gesta tum composita fuisse suspicor, cum Pelagius I et Iohannes III *basilicam Iacobi pariterque Philippi* Romae aedificauerunt (L. P. I, 306). — Cf. *Analecta Bollandiana*, VIII, 1889, p. 136.

gloria, tum haereticorum apocryphis ad historiam scribendam catholicos excitatos esse.

Quin etiam euenit fortasse ut haereticorum cura; maioris etiam momenti quam iam dictum est et scripta asseruata manifeste testantur, Catholicis existeret : cum in Sacramentario Leoniano, tum in *Libro Pontificali* Damasiano fortasse componendo, eam curam interfuisse putabis, si modo in praefatiunculam siluestrianis gestis praefixam attenderis, quae apostolicarum sedium episcoporum historiam ab Eusebio conscriptam nouisse uidetur ideoque Romanorum Pontificum ut mox in lucem proferenda gesta quasi praenuntiat[1]. Pari modo, si causam aliquam communem quaeris cur, ea fere aetate, Martyrum gesta apud Latinos conscripta sint, nonne eo induceris ut Catholicos timuisse credas ne Manichaei traditiones ecclesiarum uti uenerandas ita obscuriores ad se traherent et in eas componendas et conscribendas, tamquam in Apostolorum historias, uenenum suum instillarent? Quae, fateor, coniectura cum hoc studio certe aptius congruere uidetur, quo flagrauerunt cunctae fere ecclesiae, originem suam ab apostolis ipsis aut ab eorum discipulis proximis ductam esse asserendo[2]; qua apostolica ecclesiarum origine recepta,

1. Prologus gestorum Siluestris de Eusebii scriptis sumit exordium. Eidem Eusebio opera duo tribuuntur : prius sanctorum omnium fere totius imperii romani martyrum et episcoporum et confessorum et uirginum et uiduarum historiam amplectitur; in altero apostolicarum sedium episcoporum narrantur gesta : ex quo anonymus noster Siluestri historiam se excerpsisse contendit.

2. *Breuiarium Apostolorum* inter scripta omnia uetustissimum est quod a sancto Iacobo Hispanias esse euangelizatas refert. De Asterio et Aurea et Laurentio, ostiensibus primis apostolis, cf. *Étude sur les Gestes des Martyrs Romains*, 2e partie.

De Domnii, beati Petri pseudo discipuli gestis; cf. *Saints d'Istrie et de Dalmatie* (*Analecta Bollandiana*, XVIII, 1899, p. 402). Qui coniecturae fauebit, is sane traditionum aliarum similiter rationem reddet, et earum quae Euangeliorum codices ab Apostolis ipsis exaratos esse narrant (Marc : Tillemont, *H. E.* II, 506. — Luca : *Archivio della... Soc. Romana di storia patria*, 1898, XXI, fasc. I-II, p. 121) et earum quae euangelicas narrationes accuratius referunt, seu nomina aliquot ignota * addendo, seu anniuersarias dies cuiusque Christi uitae rei diligenter notando **.

* In Codice Spalatensi tertii euangelii legitur : « In Golgotha,... latrones unum a dextris, nomine *Ioatas*, et alterum a sinistris crucifixerunt, nomine *Cammathras*. » (apud Samuel Berger, *Bulletin Critique*, 15 mars 1899, 144, note.)

** In Codice Bernensi ferialis hieronimiani, notatur *Initium praedicationis domini* (mai. 1), *Eductio Iesu de Ægypto* (ian. 7); cf. quoque *Immolatio Isaac* (mart. 25), *Egressio Noe de arca* (april. 28). Cf. Rossi-Duchesne, *Martyrologium Hieronimianum*, p. LXXX.

quomodo Manichaei nugas suas Apostolorum patrocinio — ut solebant — tueri potuissent? Apud Gregorium Turonensem legimus Eutropim episcopum Clementis papae primi fuisse discipulum[1]; iisdem fere temporibus hae historiae circumferri coeptae erant in quibus Lazarus episcopus massiliensis et Iacobus quidam hispanus sanctus cum Lazaro a Iesu suscitato et Iacobo apostolo confundebantur. Facile equidem credam monachos decimo saeculo huius generis libellos aliquot paene ignobiles manichaea aetate scriptos, forte fortuna esse nactos et eos retractasse et amplificasse, ut a quinto sextoue saeculo stirpem fortasse repetere ducas aliquot saltem « legendas » de apostolicis gallicarum ecclesiarum originibus.

Coniecturam alteram proponere ausim? In Patriarchas Veterisque Testamenti sanctos Catholici, ut opinor, tum primum animum intenderunt, cum S. Helena, singulari in Iesum pietate mota, eius *et eorum* patriam inspexit: tum certe Iob, ut nuper ex Siluiae quae dicitur Peregrinatione didicimus, sese Transiordanicis reuelauit et Iudaeis Samuel, teste Hieronymo[2]; tum quoque Macchabaeorum reliquiae Antiochiae colebantur. Post S. Helenam autem, S. Hieronymus mihi uidetur ueterrimos sanctos illos in fidelium mentem reuocasse, qui hebraeis studiis clarissimus euasit; necnon recentiorum martyrum gloria, dum crescebat, huic ut suspicor nascenti studio fauit : nonne utriusque reuelationis testes magno honore catholicos colere decebat? Tum certe Michaei et Abacuc corpora Zebennus episcopus Eleutheropolitanus inuenit[3] et ferialis compilator festiuitates Patriarcharum quattuor notat[4] et Romani Michaelem archangelum in Uia Salara colunt[5]. Eodem uero quinto saeculo Manichaei Iudaeorum Deum utpote malum et

1. In *Gloria Martyrum,* 55 (Krusch. 526).
2. *Contra Vigilantium,* 5 (P. L. 23, 343).
3. Sozomenus, VII, 29.
4. Duchesne-Rossi, Prolegomena LXXX.
5. *Sacr. Leonianum* (Feltoe), p. 106.

improbum lacessere, Testamentum Vetus respuere, Catholicos ob hanc rem impugnare. Nonne natura ita comparatum est ut fideles libros eo magis uenerentur quo infensius eosdem haeretici carpunt? Macchabaeorum reliquiae Romam, ut uidetur, deferuntur[1]; apocryphorum auctores plurimi Veteris Testamenti sanctorum nomina prae se ferunt; archangeli cultus et Romae et in « agro » larinate[2] crescit; prophetarum denique creberrimae festiuitates — (XXV, Macchabaeorum omissa) — in *Martyrologio Romano Paruo* notantur. Nonne Catholicorum in Manichaeos odium Patriarchas colendi studio crescenti fauit?

Vtcumque autem se ea res habuit, Romae, Theodorico regnante, effloruerunt litterae apocryphae, Hieronymi et Leonis praesertim auctoritatem maximam testantes, ut gallici scriptores, saeculo recentiores, a Romanis initam uiam tantum sint secuti: Romani enim papae, quales Hilarius aut Gelasius aut Symmachus aut Hormisdas homines non sunt quos *Libri Pontificalis* auctores uno eodemque modo, ad ueritatem minime adductos, pariter depinxerunt: qui eorum scripta euoluerit, ingenium uniuscuiusque proprium facile perspiciet ut, qui, Leone mortuo, Apostolicae sedis splendorem imminutum esse, quasi «dormitassent» ut poeta, romani pontifices, dicunt, ii quantum errent, sentiat. Sexto saeculo, Barbaris Italiam Gallias Hispanias tenentibus, Romanos Pontifices uere religionis christianae et humanioris uitae magistros exstitisse, testatur litterarum romanarum apud omnes auctoritas; quod difficile quidem intelleges, si eos ad ecclesiarum sacraria aureatis ornamentis et libellis supplicibus imperatorum archibos complendos tantum ualuisse ducis. Auctoritas qua Gregorius Magnus apud Latinos pollebat, non solum sanctitate eius uerum etiam antecessorum memoria nitebatur: nam ad

1. Marianus Card. Rampolla, *Del luogo del Martirio e del Sepolcro dei Maccabei*, Roma, 1898; in-8°, cf. *Analecta Boll.*, 1898, 356.
2. Gelasius Iusto. (Löwenfeld, *Epistolae romanorum pontificum ineditae*, 1.)

auctoritatem romanam confirmandam anonymi nostri, doctorum Ecclesiae saepius nomine usi, catholicas uersiones historiae christianae conscribendo nonnihil, ut uidetur, contulerunt.

Manichaeorum scripta ad Christianorum dogma euertendum et ad ea ethices principia quibus tamquam fundamentis ciuitates nituntur labefactanda pertinebant: quae res eo maioris erat periculi quod superstitiones paganae passim uigebant et christiana fides in animis penitus nondum insederat atque in semipelagianis, quae tum habebantur, controuersiis, de ethices summa agebatur. Clerici igitur anonymi qui Manichaeos lacessiuerunt et fidelibus innocuas praebuerunt narrationes, ii christianam plurimorum fidem integram asseruauerunt — propter quod christiani iis maximas gratias agunt — et pro bonis moribus in bonum commune propugnauerunt — quam ob rem iis laudes cunctis sunt habendae.

FINIS

SCRIPTA, UT CREDITUR, INEDITA

I

PROLOGVS VALERIANI LVGDVNENSIS GESTIS PRAEFIXVS EX CODICE VINDOBONENSI LATINO 484 (fol. 1v-2r) EXCERPTVS

1v Incipit passio sancti Valeriani martyris. Beatissimorum martyrum gloriosa certamina ob honorem Christi Domini ac Dei nostri assiduis cultibus et solemnitate annua celebrantur ut dum fidem martyrum plebs deuota cognoscit et illos triumphasse gaudeat et se patrocinio eorum protegendam esse confidat. Celebre enim habetur, sanctae recordationis eusebium hystoricum, caesariensis urbis episcopum, egregiae uitae beatissimum sacerdotem, aecclesiastica quoque institutione doctissimum et praecipua sollicitudine uenerandum, per omnem orbem in quantum diuino adnuntiante spiritu, ut gestum est rei ueritatem decursam ualuit repperire, prout singularum *prouinciarum urbes, loca uel oppida* inlustrari triumphis martyrum coelestibus meruerunt, *quorumque principum tempore* ordinata officiorum instantia innumerae persecutiones actae fuerunt, declarasse. Qui *etsi martyrum singulorum integras non explicuit passiones*, tamen christianis deuotis atque fidelibus unde scribi uel celebrari debeant ueraciter intimauit. Dei itaque gratiam toto orbe diffusam fidelis cultor excoluit dum uelut exiguo 2r tritici semine copiosae messes agri fertilitate gignuntur et multiplicata ubertate proficiunt. Ita per supra dicti uiri reuelationem ab unius codicis fonte diffusae scriptis manantibus fidelium totum orbem celebrandae passiones martyrum rigauerunt. Nos tamen rei ordinem exsequentes passionem sancti Valeriani martyris ea scribere deuotione curaui in quam triumphante Christo perfectam sincerissima ueritate comperimus.

Igitur diebus illis Antonini imperatoris temporibus grauissima persecutionis instantia pullulabat adeo ut in cunctis imperii sui prouintiis generali fuerit auctoritate uulgatum et decretis imperialibus constitutum ut ubicumque christianae religionis indiscreto honore sexu uel genere persona fuisset inuenta diuersis afflicta suppliciis capite puniretur. Tunc lugdunensi urbe maxima uel praecipua Galliarum...

II

PROLOGVS PSEVDO-HIERONYMIANVS PAVLINIANIS EPISTVLIS PRAEMISSVS

Item praefator. Primum quaeritur quare post euangelia, quae supplementum legis sunt et in quibus nobis exempla et praecepta uiuendi plenissime digesta sunt, uoluerit apostolus has epistolas ad singulas ecclesias destinare. Hac autem causa factum uidetur, scilicet ut initia nascentis ecclesiae nouis causis exsistentibus et praesentia atque orientia resecare (t)uitia et post futuras excluderet quaestiones exemplo prophetarum, qui post aeditam legem Moysi in qua omnia Dei mandata legebantur, nihilominus tamen doctrina sua rediuiua semper populi compraessere peccata et propter exemplum libros ad nostram etiam memoriam transmiserunt.

Deinde quaeritur cur non amplius quam decem epistolas ad ecclesias scripserit. Decem sunt enim cum illa quae dicitur ad Hebraeos (nam reliquae quattuor ad discipulos specialiter sunt porrectae) ut ostenderet nouum non discrepare a Veteri Testamento et se contra legem non facere moysi; ad numerum primorum decalogi mandatorum suas epistolas ordinauit et quot ille praeceptis a Pharaone instituit liberatos, totidem hic epistolas a diaboli et idolatriae seruitute aedocet adquisitos. Nam [68v] et duas tabulas lapideas duorum Testamentorum figuram habuisse uiri eruditissimi tradiderunt. Epistolam sane quae ad Hebraeos scribitur, Pauli quidam non esse contendunt, eo quod non sit eius nomine titulata et propter sermonis stilique distantiam, sed aut Barnabae iuxta Tertulianum, aut Lucae iuxta quosdam, uel certe Clementis discipuli apostolorum et episcopi romanae ecclesiae post

apostolos ordinati. Quibus respondendum est : si propterea Pauli non erit quia eius non habet nomen, ergo nec alicuius erit quia nullius nomine titulatur. Quod si inconueniens absurdumque est, ipsius magis esse credenda est quae tanto doctrinae suae fulget aeloquio; sed quoniam apud Hebraeorum ecclesias quasi destructor legis falsa suspitione habebatur, uoluit tacito nomine de figuris legis et ueritate Christi reddere rationem ne odium nominis fronte praelati utilitatem excluderet lectionis. Non est sane mirum si aeloquentior uideatur in proprio id est hebraeo quam in peregrino id est greco, quo ceterae epistolae sunt scriptae sermone.

Mouet etiam quosdam quare Romanorum epistola in primo sit posita cum eam non primam scriptam ratio manifestet. Nam hanc se proficiscentem hierosolymam scripsisse testatur, cum Corinthios et alios ante iam ut ministerium quod secum portaturus erat colligerent, litteris adhortatus sit. Vnde intellegi quidam uolunt ita omnes epistolas ordinatas ut prima poneretur quamuis posterior fuerit destinata, ut per singulas epistolas gradibus ad perfectiora ueniretur. Romanorum namque plerique tam rudes erant, ut non intellegerent Dei se gratia et non suis meritis esse saluatos et ob hoc duo inter se populi conflictarent. Idcirco illos indigere asserit confirmari uitia gentilitatis priora commemorans. Corinthiis autem iam dicit scientiae gratiam esse concessam et non tam omnes increpat quam cur peccantes non increpauerint reprehendit sicut ait : auditur inter uos fornicatio; et iterum : congregatis uobis cum meo spiritu tradere huiusmodi Satanae. In secunda uero laudantur et ut magis ac magis proficiant commonentur. Galathae iam nullius criminis accusantur nisi hoc tantum quod callidissimis pseudo apostolis crediderunt. Ephesii sane nulla reprehensione sed multa laude sunt digni quia fidem apostolicam seruauerunt. Philippenses etiam multo magis conlaudantur qui nec audire quidem falsos apostolos uoluerunt. Thessalonicenses nihilominus in duabus epistulis omni laude prosequitur eo quod non solum fidem inconcussam seruauerint ueritatis, sed etiam in persecutione ciuium fuerint constanter inuenti. Colosenses autem tales erant ut cum ab apostolo uisi corporaliter non fuissent, hac laude digni haberentur : et si corpore inquit absens sum, sed spiritu uobiscum sum gaudens et uidens ordinem uestrum. De Hebraeis uero quid dicendum est quorum Thessalonicenses qui plurimum laudati sunt imitatores facti esse dicuntur, sicut et ipse ait: et uos fratres imitatores facti estis aecclesiarum Dei quae sunt in Iudaea; eadem enim passi estis et nos a contribulibus uestris quae et illi a iudaeis apud ipsos quoque Hebraeos. Et idem commemorat dicens : Nam et

uincti conpassi estis et rapinam bonorum uestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes uos habere meliorem et manentem substantiam.

EXPLICIT
PRAEFATIO
SCI HIERONYMI

(Ex Codice Latino Paris[1]. 250, f° 67^{v}. IX s., in-f°).

1. Qui textus post hunc : *Epistola Pauli ad Romanos causa haec est* et ante eum *concordias epistolarum Pauli* inseritur. — Idem prologus in Codice Latino Parisino 254, folio 113^{v}-114^{r} occurrit : in uerbis a priore multum distat; dein longam disputationem de epistula ad Romanos refert, postquam anonymus Paulum prophetarum exemplo usum dixit ; tertio praeterit quae de epistula ad Hebraeos et de epistularum ordine (ab his fere uerbis : Mouet etiam quosdam quare...) dicuntur.

VIDI AC PERLEGI

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

Prid. Id. Mart. anno MDCCCC

Facultatis Litterarum in Universitate
Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

TYPIS MANDETUR :
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

ADDENDA P. 54, N. 4

Certo autem « medii aeui » haereses pleraeque ex Manichaeismo postaugustiniano nostro pendent : errauit igitur plane H. C. Lea, cum scripserit : « It was almost immediately after their transfer to Europe by Zimiskes that we meet with traces of them in the Weest, showing that the activity of their propagandism was unabated. » (*A history of the Inquisition of the Middle Ages*, New-York, 1888, in-8°, t. I, p. 91.)

Burdigalae. — Ex typis G. GOUNOUILHOU, via dicta Guiraude, 11.

BORDEAUX. — IMPR. G. GOUNOUILHOU